HENRICO 4. FRANCIÆ ET NAUARRÆ REGI AUGUSTISSIMO, IN...

Pierre Rovier

HENRICO IV.

FRANCIÆ ET NAVARRÆ

REGI AVGVSTISSIMO,

in instauratione Godranij Soc. IESV Collegij,

PANEGYRICVS,

dictus Diuione à P. PETRO ROVERIO Auenionensi, è Soc. IESV.

Additæ NOTÆ, & Primigeniæ ac Reuertentis Fortunæ Characteres.

Editio altera, melior & emendatior.



ANTVERPIÆ,
EX OFFICINA PLANTINIANA,
Apud Ioannem Moretum.
M. DC. X.



——— *Hoc* REGES *habent*
Magnificum et ingens, nulla quod rapiat dies,
PRODESSE MISERIS. ———

Seneca in Medeâ.

LECTORI MEO.

HÆREBIS, *an horrebis,* MI LECTOR, *ad tam crebram & honorificam* FORTVNAE *ex Christiano ore mentionem? Hærebis tantùm si fortunam nostram amas; si non amas, etiam horrebis. Ego amanti tribuam, ne omnino hæreat; non amanti, ne iure horreat.* FORTVNAM *Christianus appello, sed Christianè. Multum refert à quâ manu telum, multum à quo ore*

verbum veniat. Iustitiam, pacem, FORTVNAM *cùm appellat Ethnicus, superstitioni seruit; Christianus, sermoni. Ille fortunæ voce numen aliquod homini beneficum, iste numinis in hominem beneficium intelligit. Ille præter diuinam prouidentiam agere, iste præter humanam tantùm euenire opinatur. Nec omnium tamen Ethnicorum hic error. Vulgus plerumque in hunc lapidem incurrit. Sapientum voces sunt: Suis cuique moribus fortunam fingi, & omnem fortunam in sensu Sapientis habitare. Quæ nihilo minùs piè ac*

verè

verè dicuntur, quàm ego hoc tempore dixerim, FORTVNAM *omnem nostram* HENRICI MAGNI, SOCIETATIS NOSTRAE LIBERATORIS, AC SOSPITATORIS, *regio pridem sensu comprehensam, & magnanimâ hoc tempore benignitate fabricatam. in quo dicto nemo Fortunam interpretetur aliud, quàm felicem istum Societatis nostræ statũ, munificentissimi Principis beneficium. Hoc attende,* MI LECTOR, *& metus non est, ne vel ex nimis amicâ censurâ hæreas, vel ex minùs amicâ horreas. Vale.*

PANEGYRICO ARGVMENTVM DEDERVNT,

CONSTANTINVS MAGNVS *in Cæsaribus Iuliani.*

Μεῖζον τὸ ἀνακτήσασθαι τοῦ κτήσασθαι.

Plus est reparare quàm parare.

SENECA, *Consolatione ad Marciam.*

Ignis quò clarior fulsit, citiùs extinguitur: viuacior est, qui cum lentâ difficiliquè materiâ commissus, fumoque demersus, ex sordido lucet. Ita & fortuna.

CYPSELVS CORINTHIVS *in Melißâ, Serm.* 248.

Οἱ πεπαιδευμένοι, καθάπερ οἱ ἐκ παλαίστρας,

κἂν

καὶ πέσωσι, ταχέως καὶ ἐπιδεξίως ἐκ τῆς ἀτυχίας ἐξανίσανται. Experientes viri, velut Palæstritæ, etsi corruerint, citiſſimè atque expeditiſſimè infortunio excitantur.

RVTILIVS, Itinerario primo.

Quæ mergi nequeunt, nixu maiore reſurgũt,
Exiliuntque imis altiùs acta vadis:
Utque nouas vires fax inclinata reſumit,
Clarior ex humili ſorte ſuperna petis.

PHILO.

Μεγίστη συμφορὰ τῷ δυσπραγοῦντι καὶ ἡ ἐρημία τοῦ ἀνακτησομένου. Maximum infortunato infortunium carere reſtitutore.

HORATIVS lib. 4. Ode. 4.

Duris vt ilex tonſa bipennibus,
Nigræ feraci frondis in Algido,
Per damna, per cædes, ab ipſo
Ducit opes animumque ferro.

Et

Merses profundo, pulcrior euenit:
Luctére, multâ proruet integrum
Cum laude victorem, geretque
Prælia coniugibus loquenda.

EVRIPIDES, Bellerophonte.

Ἥσσους γεγῶτες κρεῖσσον' ἦλθον εἰς τύχην.

Qui priùs pressi, commodissimam sortiuntur fortunam.

'HEN-

[1] HENRICO IV. FRANCIÆ ET NAVARRÆ REGI AVGVSTISSIMO,

in inſtauratione Godranij Soc. IESV *Collegij,*

[2] PANEGYRICVS.

Per [3] Proſopopæiam Iudicij de præſtantiâ inter Primigeniam & Reuertentem Fortunam.

FVIT illud quidem feliciſſimi ingenij, fundatiſſimíq. Iudicij, REX AVGVSTISSIME ([4] abeſſe enim illum non ſentio, dum te, Gubernator ſapientiſſime, dum vos, Præſides perfectiſſimi, Senatores Clariſſ. præſentes video) quod

à [5] Romano Rege Seruio vniuersa humanorum casuum diuersitas, multiplicatis Fortunę cognominibus, simulacris, templis, tam expressè atque illuminatè proposita est, vt nemo tunc fuerit, ac ne esse nunc quidem possit, vel delicatissimus fortunæ pullus, vel inuitissimâ natus sorte, vel alium quemlibet fortunæ vultum expertus, qui si Seruianas illas [6] obsequentis, auersantis, inuiscatæ, aliarúmque id genus fortunarum ædes, ac statuas impensiùs recenseret, seipsum sibi ostensum, casúisque suos explicatissimè propositos, suauissimo animi sensu non agnosceret. Sed nescio an quidquam ab eo fortunatiori vmquam ingenio, acriorique iudicio fuerit constitutum (abfuisset

fuiſſet modò fatalis illius ęui ſuperſtitio) quàm cùm [7] Fortunam duplicem contrario templorum ſitu, diſtinctis ſacrorum ritibus, oppoſitis ſimulacrorum inſignibus, geſtibus, cognominibus, celeberrimo vrbis loco, dedicauit.

Alteram enim ille [8] Primigeniam dixit, Πρωτογένειαν Plutarchus vertit: alteram [9] Reuertentem, quam Ἐπιστρεφομένην Græcus reddidit. Primigeniæ, quoſcumque ea quæ primùm aſpexerat proſperitas æquabili atque irretorto oculo perſpexiſſet, hilares & ludibundi ſacra ferebant. Reuertenti, qui de primo Fortunæ gradu deiecti, & quaſi hęrentes, iam ſolo ſurculi prætereunte, vt Poëta ait, infortunij aratro tacti leuiterque conuulſi eſſent, ſi quando

quando priſtino gradu conſiſterent, & quaſi fecundo imbre vegetati, ſolo culmoq́ue ſuo rurſum aſſurgerent, gratulabundi operabantur.

Nolite expectare, vt ceterorum ſacrorum ritu [10] auguſtam aliquis fauentiam adhiberi, & iurgiis litibúſque temperari, in hiſce vtriuſque Fortunæ ſacris aut præcipere auſit, aut ſperet obtinere. Numquam illa meliùs, quàm dum iurgiis, [11] maledictis, & contentionibus feruebant maximè, perpetrabantur. Qui enim Primigeniæ faciebat, non aliâ commodiùs prece illam ſe venerari propitiaréve poſſe exiſtimabat, quàm ſi Reuertentem conceptis exquiſitíſque verbis deteſtaretur. At qui Reuertentem adie-

adierat, hoc vno quaſi velamento & infulâ placari eam maximè exorarique opinabatur, Primigeniæ accuſatione. Iſte Primigeniam proditionis; ille Reuertentem inſidiarum inſimulabat. Iſte Primigeniam quaſi deſidiæ nutricem; ille Reuertentem quaſi quietis perturbatricem accuſabat. Iſte Primigeniam quaſi infortunij parentem; ille Reuertentem quaſi illius ſobolem abominabatur.

Hîc ego quæſo vos, viri Diuionenſes, ſi quis eſſet Collegij huiuſce veſtri Godranij ſenſus, imò quia aliquis eſt illius ſenſus, neque enim Collegium tantùm eſt, iſta quæ dicitur mutorum lapidum lignorúmque congeries, ſed multo veriùs docentium diſcentiúmq. animata

mata & rationabilis consociatio.

Ergo quia illius aliquis sensus est, si quis ipsum casus eum in locum appelleret, vnde inflammata ista sacrificantium vtrique Fortunæ concertatio, quasi ex aperto theatro planè ac perspicuè proponeretur, vtram ipsum sibi, vtpote vtriusque experientissimum, fortunatiorem Fortunam iudicaturum, vtram vos illi pro vestro in litteras ac litteratos amore iudicandam esse censeretis? Si enim primæuum illum suum, & quasi natalem statum contemplaretur, cùm propensissimâ omnium ordinum voluntate, [11] Resignatore Amplissimo Senatu, Nuncupatore viro perfectissimo Odineto Godrano, Emptore vrbano magistratu, Antestatore

tore populo, & vniuersâ prouinciâ Libripende quasi per æs & libram in Godranias ædes ac nomen ascitum, legitimóque hereditatum iure in possessionem missum est; propè esset vt nascentia illa, & quasi lactea Primigeniæ suæ Fortunæ munera, quamlibet maturis & adultis Reuertentis fructibus anteferret. At cùm primùm in hodiernæ diei festam lætitiam, in illud haud paulò faciliùs constantiúsque de edicētis bonitate speratum, quàm de contradicentium studiis desperatum, AVGVSTISSIMI REGIS RESTITVTORIVM EDICTVM; in tuum, Gubernator spectatissime, humanissimum fauorem; in vestrum, ' ' Præsules perfectissimi, multo secundissimum propensissimúmque

múmq. aſſenſum; in tuas, Senatus ampliſſime, honorificentiſſimas ſententias; in veſtram, Diuionenſes ornatiſſimi, non publici exempli benignitatem: cùm denique in beneuolentiſſimum iſtum Burgũdiæ, totius applauſum oculos animúmque obuerteret, ſubduceret (mihi credite) calculum, & ſententiæ incertum fluctuaret: non aliter, quàm minuta, vt vetus Poëta loquitur, magno deprehenſa nauis in mari veſaniente vento; veterúmq. cognitorum ritu, de præſtantiâ inter Primigeniam illam & Reuertẽtem iſtam Fortunam ſuam, NON LIQVERE pronuntiaret.

Enimuerò peccarem ego, opinor, largiter in tam effuſas parentum, liberûm, accolarum, incolarúmque

rúmque veſtrorum voluntates; nec ſatis pro eo ac debeo, calentibus iam olim, ſed nunc inflammatis atque incenſis Societatis noſtræ vniuerſæ erga vos, veſtroſque Diuionenſes, ſtudiis obſecundarem; ſi non Godranio huic veſtro Collegio, pro hodierno meo munere, aliquē ex illâ fluctuatione portum, ex incertitudine iudicium, aperirem. Neque verò obſcurum mihi eſſe, aut anceps poſſet, in tantâ exercitatiſſimorum hominum multitudine, quos potiſſimùm huic controuerſiæ actores, defenſores, iudices ferrem, ſi quemquam eſſe exiſtimarem, qui vel Godranio ipſo Collegio potiùs de vtriuſque Fortunæ causâ cognoſcere, vel vtriuſque myſtis & ſacerdotibus

 meliùs

meliùs eam agere, ac diſceptare poſſet & deberet. Eam ob rem ſedebis tu, ſi placet, hodie, Senatus ampliſſime, Godranio tuo Collegio in conſilio; & iudiciariæ illius tuæ ac decretoriæ poteſtatis tantiſper obliuiſceris, dum ipſum ſibi de alterius Fortunæ præſtãtiâ ſententiam pronuntiarit. me interim, quaſi tẽporario Iuriſconſulto, vtrique parti, vobis beneuolentibus, ęquius melius cauente, conſulente.

Ac mihi quidem principio videor ego intueri Tarpeium illum collem, primum Romani Septimontij decus, decliuibus prono latere ſemitis albicantem, & procurrentibus circumquaque rupibus aſperatum: [14] in cuius ſupercilio ædes aſſurgit, ſolo [15] inſtauratore

Nerone

Nerone reliquis inferior; ceterùm materiæ pretio, operis nouitate, artificij pręstantiâ, in paucis Romanę vrbis templis accensenda. [16] Fores illi fermè occlusæ; nulla in tholo, nulla in camerâ, nulla in fronte, nulla in apside, [17] nulla in ambitu aperta lumina, quibus aut nascentem aut morientem solem sacrificantibus de more possit affundere. Ipsa enim ædes, quanta quanta est, tota lumen est & fenestra; nullâ parte obscurior, quàm quà adeuntibus patet. Fortunæ Primigeniæ domicilium non imperitæ Romanarum rerum animæ, ex ipsâ situs, ac multò magis ędificij ratione, satis, opinor, odorantur. Etenim primorem illam hominũ Fortunam, volaticum animal, nec vllâ magis

in re constantem quàm in suâ inconstantiâ, cùm experirentur; caueam melius dixerim quàm templum, primò nullis luminibus, vtpote auolare facili, deinde è speculari Cappadocum lapide, qui solem nihilo seciùs quàm vitrum admitteret, eiusque lucem quasi à se emissam, non quasi transmissam redderet, vtpote vndequaque pellucenti, & inani alienorum bonorum ostentatrici Diuę circumstruxerunt. Ei templo mos fermè erat, ne quis nisi oppilatis foribus fugacem & erraticam Diuã aut adiisse vellet, aut honorasse. Sed nos soluamur, licet, superstitiosâ consuetudine; & quantumuis leuem pennatamque Diuam, patenti templi exitu, eum in locum deducamus, vnde

vnde & agnoſci ipſa, & reis atque actoribus, vt vos Iuriſconſulti dicitis, ſuperſtitibus præſentibus iudicio experiri cum Reuertēte Fortunâ bono iure poſſit.

ETIAM contemplamini, opinor, veſtris cum animis, quà templi exitus eſt, [18] virginem puellaribus in annis, [19] alatis ad pedes talaribus, nunc lapſabundo nutantem veſtigio, nunc procurſim, nunc tranſcurſim, nunc ſaltuatim, Tarpeij collis dorſo in ſubiectam vallem contendentem. Capillus ei, ſi aduertitis, non crinalibus plexus faſciolis, nec recurrentibus, vt ſolet, circulis vertici circumſtructus, ſed ingenio ſuo flexus, ventorum leuiumq. aurarum ludibrium collo atque humeris ſeſe effudit. [20] Fron-

tem habet pro morum modulo minimam, & muliebriũ pigmentorũ iniuriis turpiter tritam.[21] Vultus, ſi neglectim aſpexeris, virtutem ſimulat, ſuperciliis quæſitâ verecundiâ deiectis, oculis hilareſcentibus, rubore maſculo niueoq́ue candore, æquabili inuicem attemperatione, confuſis. At ſi diligentiùs attenderis, ſupercilia illi non verecundia,[22] ſed inuidia deiecit; oculis non hilaritas, ſed inconſtantia leuitáſq. inſedit; color non ex candido rubeus, ſed, qualis ſimulatrici ac prẹſtigiatrici, incertus & varius.[23] Siniſtram eius, nauigij de more, gubernaculũ occupauit; capaciſſimo interim Amaltheæ cornu repando flexu, lẹuo ſeſe brachio inſinuante, ac tẽporarias quaſdam

dam & de facili euanescẽtes fruges, poma momento temporis marcentia, & vnius dieculæ spolium rosas summo ore proferente. [24]Capitis vertici rotã volubilem radiis, vt Primæuam Fortunam decet, modioloque recentibus ipsa aptauit; quò liberiore dexterâ Plutum lactentem adhuc & vestigiis vix hærentem, inęqualibus secum passibus ægrè reptantem, arbitrante ductu, quam in partem collibitum erit, impellat. [25] At vestis flexuosi vndulatique operis, non impressa corpori, nec humeris matronalem in modum acquiescens, sed leui fibulæ morsu ceruices amplexa, & longo post tergum syrmate prodiga, malè ominatę & importunè sequacis vetulæ, quam nos Calami-

tatem, Gręcus Δυςυχίαν vocat, manibus ſuſtentatur. Iam vtrumque Primigeniæ latus tegunt pauculi aliquot illius ſacerdotes & myſtæ, ſuccinctis altiùs veſtibus, capillo pexo, facie interpolatâ, delicatulis geſtibus & formicino quaſi gradu ſuſpēſis veſtigiis aſpreta illa & prærupta Tarpeij dorſa pererrantes. Felices vulgò appellant, quibus hoc vnum, ſi rectè ratiocinamur,
26 maximum accidit infortunium, quòd nihil accidit infortunij; hoc vno ſeueriſſimâ vſi ſunt fortunâ, quia nimis indulgente. Scitemur, ſi placet, quinam ſint hominum, & quibus è regionibus tam belli felicitatis columbuli aduentarint? Seruij, inquiunt, Tullij, Metelli, Syllæ, Craſſi, videlicet è ſeruili ergaſtulo, è Ma-

è Macedonico latrocinio, è meretricio lustro, è fœneratoriâ tabernâ, in fortunatorum nomen, & Primigeniȩ sacra familiamq́. adoptati. Ergo pulchelli homines, vt primùm in eum locum deueniunt, vnde in Reuertẽtis Fortunæ ædem planissimus est prospectus, non maledictis, non conuitiis temperare, vix manus abstinere, quin eam de Exquilino, in quo illi ædes est, imam in vallem præcipitio sistant.

NON EGO te, proclamat Seruius, eâ spe Romano induxi pomerio, aris templisq́ue dedicaui, votis ac donariis sum veneratus, vt esses, quam desertâ Primigeniâ ad se homines rapere, cui adhærescere, quam exosculari certarẽt; satis illi, ad prolectanda hominum studia,

 & tuâ

& tuâ insuauitate, & suâ cautum credidi suauitate. [28] Febrem etiam, Rubiginem, Pestem, aliaque sęculi dehonestamenta templis admittimus, & precibus propitiamus; non eo tamen animo, quo Victoriam, Honorem, Virtutem, atque hanc ipsam Primigeniam, volentes nobis & propitias esse cõprecamur. Quibusdam venerationem facit timor, quibusdam amor: ista, dum inuocamus deprecamur; dum colimus, detestamur: hæc sola puris mentibus adimus, eisque vota concipimus, quæ delectet exoluisse. Primigenia, etsi desint cetera, hoc vno [30] delectat maximè, quia prima; Reuertens, vt adsint cetera, hoc ipso delectat minimè, quia post primam. Quidquid post primum

mum eſt, minus eſt. Præterit opaciſſima amœniſſimáque auiaria volucris, vt, in quo primò nidum habuit, reſideat ſenticeto. Fumoſa & acutis cautibus [31] niduli in modum affixa Ithaca, auratis Nauſicaæ laquearibus, marmoreis Circes palatiis, & vmbroſo Calypſus platanone iucundior eſt, quia prior. Hæc ipſa, quam naſcentes tangimus, tellus; hic aër, quem primò reſpiramus; cibus, quo coaleſcimus; ſermo, qui linguam primus reſignat; minùs eſſent ſuauia, ſi non eſſent prima.

[32] DENIQVE LONGE POST PRIMVM EST, QVIDQVID EST SECVNDVM.

Plura eodem calore pro ſe contra Reuertentem meditanti ob-

ſtrepit

ſtrępit ipſa [33] Primigenia, quæ natiuâ fatiſcens mollitie, declinantibus in ſomnum oculis, excuſſo manibus gubernaculo, fuſo ad pedes Amaltheo, lapſam vertice rotam dexteræ ſupponens alæ, tellurïſque gremio ſenſim affuſa, tenellum Plutũ ſuâ eôdem trahit ruinâ. [34] Ac dum paruulos euentus, quos *συντυχίσμȣς;* Græci Fabulatores nominant, ſpectare fortunati noſtri delectantur; nunc condormiſcenti inter bona ſua, conniuentíque Dominæ explicatis ægrè pennulis inuolitantes; nunc ſe in illius ſinum, vnde prodierant, humente adhuc & aërem ferire inualido remigio excuſſim immergentes; nunc toto illius corpore, quales Nilo [35] flumini ſuos alludere liberos credidit

Ægyptus,

Ægyptus, multiplici lapſu perrepentes: prodit ecce Reuertens Fortuna, vehementi illâ Seruij actione excita [36] de Exquilinâ ſuâ ęde, non tecto, non parietibus conclusâ, ſed hypęthrâ & ſolâ columnatione coronideque comprehensâ. Quam vt procul animaduertit Metellus, propexam illam ſuam & canētem demulcens barbam,

Mihi qvidem pro nihilo, inquit, eſſent tot bella, nullo fermè Romano ſanguine debellata; inhonori tot triũphi, nullo familiari luctu reportati; infractus capitis iſtius honor, militaribus coronis illuſtratus; viles tot magiſtratus, vnam in familiam non delati ſed congeſti; [37] infelices filij tres Conſulares, vnus Prætorius, duo Triumphales, vnus

vnus Cenſorius, viuente adhuc ac vigente patre honoribus aucti; ferale denique eſſet illud funus, in quo à Triumphalibus filiis Triumphalis parens rogo inferebar, quaſi ipſis etiam triumphans exequiis; ſi vel vnum diem cum Reuertente Fortunâ mihi interceſſiſſet commercium. QVIDQVID ENIM POST INFORTVNIVM PRÆSTARE MIHI FORTVNA POTEST, SERVM EST. Hoſtem qui ſemel admiſit mœnibus, etiam cùm excluſerit, nocens eſt. præſtare enim Reuertens Fortuna poteſt, vt infortunatus non ſis; vt non fueris, præſtare non poteſt: parum eſt felicem dici, ſi priùs infelix es nominatus. Imò auſim dicere, plùs aliquantò eſſe in infelicitate conſeneſcere, quàm, poſtquam infelix

infelix es, precariam Fortunę felicitatem debere. Licitabatur Reuertens Fortuna atq. ambitiosè prensabat constrictum Carthaginiensibus vinculis [38] Attilium Regulum, nec paruo illum, si in eius adscribi vellet calendaria, promerebatur. Iterati Consulatus, repetitę Præturæ, renouatiq́. triumphi, accipiendi eius beneficij illecebræ, proponebantur. At ille stipulabatur à Fortunâ, velléτne & posset facere, vt ne victus, ne captus, ne seruituti esset addictus: illâ abnuente, & seruatum, restitutum, liberatum facere restipulante, Non emo, inquit, tanti tuum fieri debitorem: remitto tibi tuam, Fortuna, gratiam: graue verbum est, SERVATVS, RESTITVTVS, LIBERATVS, & antiquam calamita-

mitatem exprobrat, & de nouo Fortunæ deuincit: malo calamitosius, malo captus, malo mancipatus nominari.

INTER hos dictorum ęstus, aſperas aliquot Exquilini collis, vt Cato loquitur, verrucas ipſo in itinere ex interuallo protuberãtes emenſa Reuertẽs noſtra, aduerſariam iam cohortem de plano ſpeculatur. dixeris adultâ nocte plenum os extra nubem lunam proferre: tantum ex illo vultu gratiæ, tantum maieſtatis effunditur. Cõferte, ſi placet, vnum in corpus,[39] quidquid in Gnidię ſuę comâ oculiſq. Praxiteles; in Lemniæ fronte ſuperciliiſque, & Amaſonis ore atque ceruice, Phidias; in Hortenſis ſuæ manibus, brachiis, reliquoq́ue corpore, Alcamenes; in Soſan-

Soſandræ amiculo ceteraque veſte Calamis elaborauit: dabo vobis vnam Reuertentem meam ſimulacris omnibus emendatiorem.

40 Nam quòd comam aliquis prædicet, qualem Iunoni ſuæ appinxit Eufranor; quòd cãdorem Parium marmor extinguentem, & malarum purpuriſſum, qualem Caſſandræ apud Delphos Polignotus aſſignauit; quòd ſupercilia, vſque ad malarum ſcripturam currentia, & confinio luminum permixta, qualia in Penelope Zeuxis expreſſit; quòd totum corpus mirabili candoris ruboriſque temperamento animatum, quale Pacatæ ſuæ Apelles præbuit; quòd denique rallum pellucentemque veſtitum, qualem Roxanæ Alexãdri Aëtion

efformauit; Vmbræ ſunt, mihi credite, & inania ſomniorum imitamenta, ſi cum Reuertente componantur. 41 Fruſtrà miraris, inanis Græcia, aurum in comas Galateæ, violas in palpebras[a] Veneris, ignem in pupillas [b] Palladis,[c] argentum in pedes Thetidis, oſtrum in [d] genas Virginis, roſas in digitos [e] Auroræ, ab inſanientibus & emotis animo Poëtis tranſlata: mentiar, ſi non iſta omnia deſpicatui habeas, cùm in Reuertentem Fortunam te conuertes. Omnino ita ſunt, Diuionenſes, pleraque iſta antiquitatis commenta, vt non tam eorum qui finguntur, pinguntur, aut deſcribuntur, quàm fictorum, pictorum, Poëtarumq́ue cerebri ſint ſimulachra. Itaque ſi cui ea obuenit
ſpecies,

ſpecies, quæ non ad alieni cerebri, ſed ad germana morũ ipſius quaſi obruſam ſit exacta, ea mihi demum perfectiſſima ipſius ſpecies laudatiſſimaq́ue videtur.

Quo fit, vt Reuertentem meam omnibus meritò id genus imaginibus anteponã; cui hoc ipſum forma eſt, quod mores. Ea propter haud paulò veri mihi ſimilius dicturus videor, [42] comarũ ei ſtructurã eſſe, qualem Aſpaſiæ modeſtia; frontem, qualem Liuiæ prudentia; ſupercilia, qualia Sulpitiæ maieſtas; oculos, quales Corneliæ patientia; genas, quales Lucretię verecundia; ceruicem, qualem Portiæ conſtantia; manus, quales Tanaquili diligentia; amictum, qualem Plotinæ frugalitas ſua concinnauit. Infert

enim ſe Reuertens noſtra,[43] integri æui matrona, in ſtupentem aduerſariorum turbam, capillo, tum, quà breuior eſt, annulatim ſupra frontem criſpato; tum, quà cirris crobylíſq. exuberat, in [44] modeſtam calanticam collecto; fronte, qualis [45] prouidæ & cogitabundæ eſſe ſolet, caperatâ; [46] ſuperciliis, nec ſuperbiâ erectis nec humilitate deiectis, ſed æquabilem in modum pro matronæ dignitate compoſitis; [47] oculis, nõ moroſitate ſed magnanimitate defixis; [48] colore, nec ruſticè aduſto, nec effeminatè candenti, ſed viriliter pudibundo; [49] & ceruice in omne infortunij pondus immotâ. Dextera eius non vnico, vt Primigeniæ, ſed gemino gubernaculo occupatur: quorum

vnum

vnum altum mare, alterum portum reſpiciat; vnum [50] tranquillo, alterum tempeſtati deſeruiat. Siniſtro brachio incumbit Cornucopiæ, quod non arentes herbulæ, ſed vel immortalis Cupreſſus, vel renaſcẽtis perpetim viriditatis Myrtus, vel ſuis ſuperſtes funeribus Amarantus, coronarunt. [52] Veſtis non diſſipatis lacinioſa tiliis, ſed in vmbonem collecta, & multiplici ſinuum contabulatione contracta. Hanc ſpeciem vt aduertit Sylla, numquam à ſe antehac vſurpatam, propè fuit, vt Homericum illud Græculæ eruditionis homo inclamaret:

> Τίς πόθεν εἷς ἀνδρῶν; πόθι τοι πόλις,
> ἠδὲ τοκῆες;

Tu quis es, vnde hominū? tibi quæ patria atque parentes?

Mirũ enim illi videbatur, aliquam

 eſſe.

esse Fortunã, sibi ad id vsq. temporis ignotam, qui cũ Sophocleo Oedipode iampridem posset pronũtiare;

Ego me Fortunæ profiteor puellum.

Ἐγὼ ἐμαυτὸν παῖδα τῆς τύχης νέμω.
qui vnus ab Vrbe conditâ fortunatum se nominari, [53] & in Chæronensibus tropæis ἐπαφρόδιτον, quasi Fortunæ amasium, inscribi se passus esset. Quare nouitate perturbatus, vix mente aut sermone constans, & sanguinarios illos oculos lucidumq́ue os contorquens,

QVISQVIS, inquit, es mihi hactenus haud illibenter ignorata, nequam profectò te & peruersam oportet esse, quæ Primigeniæ meæ perenni atq. imperturbatâ felicitate decurrẽti sis aduersa. MAGNVM COMPENDIVM EST FELICITATIS PERENNITAS. Quamlibet etenim parum

parum ſit, quod accedit; ſi cõtinenter, ſi perpetuò accedit, grande eſt. Lacum quamuis minimi fontes efficiunt, quia perpetui; quamuis effuſiſſimi imbres non efficiunt, quia interrupti. dum te reparatio, dum reſtitutio, eorum quæ perierant, remoratur; Primigenia, quæ integra erant, immenſùm auget. Minimùm licet ad metas hæreas, multùm & à præcurrente relinqueris, & à conſequente premeris.

PARABAT poſt Syllam dicere Craſſus, ſed iam clepſydris aqua defluxit; & illi capitis ſui Parthico præfixi conto oborta in tempore recordatio, nec quæ pro Primigeniâ (à quâ deſertus fuerat) honeſtè, nec quæ contra Reuertentẽ (quam concupierat) iuſtè, ab eo dici poſ-

ſent, reliqua fecit. Ergo ne tacitus aduocatione diſcedat; Ego, inquit, de Primigeniæ iucunditate idem, quod Seruius; de dignitate idem, quod Metellus; de vtilitate idem, quod Sylla, viuens dixiſſem: mortuo incerta eſt ſententia.

Secundùm hæc proclamat accenſus aliquis,[54] DIXERE. & procedit Reuertens, exſuccam illam & funeream Calamitatem non à tergo trahens, vt Primigenia; ſed reuinctis ferro manibus quaſi triumpho præ ſe agens. PRÆSTO eſt ei, hinc adulti & iam matureſcentis æui iuuenis, furuam vertice caſſidem & oblõgam dexterâ clauem quaſſans, quem Plutum eſſe haud difficulter intelligas: inde Euentus boni, non tenelli & lactei,

vt

vt Primigeniæ; ſed robuſti iam & confirmati, vtroque parentem latere ambientes. Atque vt primùm
55 auguſtiore ſolio, quod ereptarum naufragio nauium pinnulæ prætexebant, illa reſederat, & aduocationem ſibi pro antiquâ iudiciorum diſciplinâ poſtularat; adeſt actutùm innumerus eorum numerus, qui vel ciuitatibus ſuis pulſi & redditi, vel fortunis exuti & reſtituti, vel libertate multati & ſoluti, vel alio infortunij genere deiecti & erecti cùm eſſent, illius ſe ſacris initiari voluerunt: & aduocationis munus pro ſe quiſque, licet inuocatus, depoſcit. Procurrit ex Græciâ Thucydides, Ariſtides, Demoſthenes, Alcibiades, Themiſtocles, Cimon, Conon, aliique

propè innumerabiles. Sed intercessit Reuertens, negauitque homini Græco ius esse in Romano foro perorare. Eam ob rem turmatim sese inferunt Latini,[56] Camillus, Cæcilius, Marcellus, Tullius, Marius, Seneca, Caspius, sexcentique alij patrios in Lares postliminio reuocati. At illa, quæ in regno suo nihil per satyram & confusim agi pateretur, Te, inquit, Marce Tulli, te Annęe Seneca, teq. Caspi, mihi in hoc iudicio adesse volo. Dixit. & progressus Tullius, vt decente loquendi morâ florem illum eloquentiæ suæ illibatum & Suadę medullam commendauit, breuem pro negotio actionem sic instituit:

SI VOLVPTATIS, quæ ex prosperâ, æquabili, perpetuaque fortunâ & secundo

ſecundo vitæ ſine vllâ offenſione curſu ducitur, imperitus & expers, pro eâ, quæ reſtitutas ex fortunæ naufragio res noſtras comitatur, dicturus eſſem; verēdum fortaſſe mihi erat, ne meę me fortunę ſuauitas, non ſatis certum de alterius ſuauitate iudiciū habere pateretur. nunc & indulgentiſſimè abs te, Fortuna Primigenia, quamdiu tibi viſum eſt, & ſuauiſſimè acceptus, ſi vberiorem, certiorem, conſtantiorémque exiſtere ex Reuertente voluptatem dixero; haud incerto, opinor, imperitóque iudicio pronuntiaro. Prima tu quidem es, nec minimum iſtud eſt tuę ſuauitatis momentum: ſed nec, quidquid eſt ſuauiſſimum, ſtatim eſt primum; nec quidquid eſt primum, ſtatim eſt

ſua-

ſuauiſſimum. Prima eſt in ſegete ſementis, poſtrema meſſis; nec tamen ideò aut ſuauiſſima eſt ſementis, aut inſuauiſſima meſſis. Prima eſt in vite paſtinatio, poſtrema vindemia; & huic tamen illa multum de ſuauitate concedit. Prima in diſciplinis elementa, poſtrema ſcientia; & illis nihil auſterius, hac nihil ſuauius. Sed non ero hoc loco difficilis. habeat Seruius tuus ſuauiſſimam te eſſe, quia prima. At ego Reuertentem hoc ipſo te ſuauiorem eſſe arbitror, quia ſecunda.

57 QVIDQVID IVCVNDVM EST, CVM ADEST; LONGE FIT IVCVNDIVS, POSTQVAM ABEST. Patria, parẽtes, & charitatum omnium ſuauiſſima, liberi, quantum habeant voluptatis, carendo magis quàm

quàm fruendo ſentitur: ſi autem carendo, quid recipiendo? Res familiaris, dignitas, amicitia, conſuetudo, iucundiùs deſiderata commouent quàm retenta: ſi autem deſiderata, quid recepta? Eſto, quàm voles, eſto pluſquam voles, ſuauis Primigenia; non tuo magis quàm Reuertentis bono ſuauis es. Creſcit de tuâ ſuauitate Reuertentis ſuauitas.

Non tulit Seneca fuſiores illas eloquentiæ ſuæ habenas laxare vlteriùs meditantem Tullium; ſed Stoïco illi acuto neruoſoque ingenio ſuo moderari diutiùs impatiẽs, altero in terram deiecto, altero ad frontem ſurrecto ſupercilio,

HACTENVS, inquit, pro tuo arbitratu fabulam luſiſti, Primigenia:

nia: nunc tempus eſt dicas, VALETE ET PLAVDITE. Illuſtrem te & honorificam tamdiu eſſe credidimus, quamdiu nec illuſtrem nec honorificam Reuertentem cenſebamus. Nunc videlicet intelligimus, honorem nō eſſe, caruiſſe infortunio, ſed infortunium nō meruiſſe. Calamitatem tam pati poteſt qui meruit, quàm qui non meruit. hoc intereſt inter vtrumque, quòd illi calamitas pœna eſt, iſti gloria. Illuſtre eſt ſeruatum reſtitutúmque nominari, ſi honorificè, ſi meritò reſtitutus ſis & ſeruatus. Da mihi hominem, Q. Metelle, qui nullo ſuo malo merito, imò & nōnullo fortaſſe bono, Primigeniâ deſertus Fortunâ, & laboribus atque infelicitate perditus, Fortunæ inuidiam probitate

ſuâ

ſuâ faciens, Calamitate emerſerit: ego illum, & dum ſub infortunij pōdere gemit, honoratum; &, cùm infortunio eminet, omnium hominum iudico honoratiſſimum. Putas, inhonorus [58] erat Scipio, cùm poſt Africanos triumphos, patriâ, quam ſeruarat, ſponte extorris, domunculam & blattarium cæcumque balneolum inhabitaret? Numquā, mihi crede, glorioſiùs triumphauit. Afros in bello & Hannibalem triumpharat; Afrorum Hannibalíſque triumphatorem, id eſt, ſeipſum, in infortunio triumphauit. Putas, inhonorus erat [59] Marius, cùm poſt inhoſpitas cautes, poſt Minturnenſes latebras, poſt Africana ludibria, ſuæ ſeipſe patriæ aſſerebat; & quidquid molli lateris

flexu

flexu vitare non poterat, humero protrudebat. Numquam illi Gallici triumphi, numquam ſpolia Cimbrica tam glorioſa. SVBLIME STRVITVR, QVIDQVID AB INFIMO SVRGIT.

CONQVIESCENTEM in hoc dicto Senecam excepit haud multò ſedatior Caſpius:

INTERIVNGIT, fateor, incurrente infortunio medio ſui curſu felicitas; erras tamen & hallucinaris non leuiter, L. Sylla, ſi aut Primigeniam tuam perpetuitate ſuâ commodiorem, aut Reuertentem minùs commodam ceſſatione ſuâ opinaris. Non eſt iſta ceſſatio, ſed reſpiratio; nec tam euntem moratur, quàm impellit. Leue eſt ad metas hærere, leue à præcurrente relin-

relinqui, ſi metis expeditus præcurrentem ipſe relinquas. Nondum Aſiam, nondum Macedoniam, vix Græciam viderant Romanæ Aquilæ, cùm inferentem ſe leuiter earum felicitatem Hannibal obex non continuit modò, ſed in ipſum propè caput originemque repreſſit; atque à Romuli caſulâ in totam progreſſas Italiam, ipſâ rurſum caſulâ circumſcripſit. Putares tam grandi infortunio longam Romanæ felicitati moram iniectam eſſe. Sed vt primùm ſe fregit obex, priùs ſe in Aſiâ, Macedoniâ, Græciâ Romanæ Aquilæ conſpexerunt, quàm veniſſe ſenſiſſent: priùs ſe illarum gentium dominas, quàm victrices agnouerunt. Tantò plus illas quinquage-

nûm haud ampliùs annorum Reuertens Fortuna, quàm quingentorum Primigenia, potuit promouere. IMPETV FLVVNT QVÆCVMQVE DIV IMPEDITA ERVMPVNT.

Tacuit Caſpius. & tibi, Senatus ampliſſime, non quæſitor aliquis, ſed tacita cuiuſque veſtrûm cogitatio pridem apud ſe ipſa proclamat: ITE IN CONSILIVM VIRI CLARISSIMI. Ite ſanè in conſilium, & Godranio huic veſtro Collegio vtram tandem è duabus hiſce Fortunis, aut vtilitate vberiorem, aut voluptate ſuauiorem, aut illuſtriorem dignitate eſſe cenſeatis, de communi conſilio renunciate. Placet Primigenia? Placet Reuertens? Expectarem, dum alteram

teram mihi aliquis palàm nominaret, niſi & perſpectæ veſtrûm omnium voluntates in hanc Collegij Godranij inſtaurationem, & notatus iam dudum cuiuſque vultus magnam animorum veſtrorum in Reuertentem inclinationem ſignificaret.

Quamobrem pronunties, licet, Collegium Godranium: pronuntiemus nos, qui doctrinæ; pronuncies tu iuuentus mea, quæ diſciplinæ illius quaſi fundus es: FECISSE PRIMAM INSTITVTIONEM, VT ESSES; RESTITVTIONEM, VT BENE ESSES. PROINDE QVANTO PLVS EST BENE ESSE, QVAM ESSE, “TANTO REVERTENTEM HANC FORTVNAM TVAM PRIMIGENIÆ ILLI ANTESTARE.

Fuit, fuit omnino honorificum Godranio huic Collegio, quòd Diuionẽsibus talibus ac tantis viris, quòd ab Odineto Godrano tali ac tanto viro, ſine more, ſine exemplo eſt inſtitutum. At quanto, prô Superûm atque hominum fidem! quanto honorificentius eſt, quòd eiſdem modò Diuionẽſibus, quòd ab eo REGE, cuius res omnes geſtę ſunt, vt modeſtiſſimè dicam, pluſquam REGIÆ, eſt reſtitutum. Diuionenſibus, cùm & Godranio ipſi Collegio, & Godraniũ ipſis Collegium ignorabatur, erectum illud conſtitutumque eſſe; grande fuit Godranio Collegio beneficium. At poſtquam mutua interceſſit cognitio; poſteaquam ipſius inſtaurationi tam amanter, tam ardenter,

denter, tam conſtanter eſt à Diuionenſibus allaboratum; poſteaquam ea inſtauratio non tributim, non centuriatim, ſed propè viritim eſt in prouincialibus Comitiis poſtulata; Diuionẽſibus Godranium reſtitui Collegium, ſi non ipſi Collegio honorificum, ſi non beneficum eſt, ego planè, quid homini ab homine aut honorificè aut beneficè præſtari poſſit, non intelligo. Reſtituat quamuis inglorius, reſtituat quamuis priuatus, dum his hominibus reſtituat, glorioſa eſt, REGIA EST RESTITVTIO.

At nunc is eſt reſtitutionis huiuſce auctor, cuius vel ſolo nomine, in omnium gentium Regnorumq́. prædicationem, in omnium ſæculorunm memoriam, reſtitutio

noſtra immortaliter commẽdetur. Godranium Diuionenſibus Collegium, HENRICVS ILLE CHRISTIANI ORBIS STVPOR, ILLVD REGVM MIRACVLVM, [62] ILLA CLEMENTIÆ ARA, ILLA FORTITVDINIS SEDES, ILLVD IVSTITIÆ TRIBVNAL, ILLVD CONSILII ORACVLVM, redditum eſſe reſtitutumq́. voluit. O TE FELICEM, Odinete Godrane, illuſtri operum tuorum inſtauratore! POTVIT OPTARI RVINA, QVÆ TANTO REPARARETVR AVCTORE.

PANTHEON Agrippa aliquis ruderetis ruiníſque ſuis excitauit; ſed inducto primi auctoris nomine, Agrippę Pantheon appellauit. Vetuſta Policleteæ artis monumenta,

menta , & marmorea illa miracula neglectim habita , celebri loco Caligula ſtare iuſſit ; ſed præciſo ſtatuarum capite, ſuam illas efferatam truculentamq́ue faciem geſtare voluit. Publica opera ſacrarumq́ue ædium faſtigia Domitianus renouauit; ſed præterito auctorum nomine, totam reſtitutori gloriam deberi voluit. At non ita, grãde illud magnanimitatis portentum, HENRICVS QVARTVS. Debeat, inquit, Collegium Diuionenſe reſtitutori ſuo plurimum, debeat & auctori multum . Ita ſurgat immortale glorię noſtræ faſtigium, vt alterius luminibus non officiat. Illuſtrari volo Lunam illam Sole meo, non offuſcari. Nimirum alia erat illius gloriæ palæ-

ſtra, in quâ non reſtitutoris, ſed munificentiſſimi auctoris ſolidum nomen pleniſſimumq́ue decus potiretur. erat FLEXIANVM illud ſolum, grandibus infantis Regis veſtigiis primò preſſum: & potentiſſimis MAGNI PVERI manibus primò reptatum. Sit ille Marathonius Regiæ gloriæ campus; effundat ſe in illũ liberalitas, per quem, vt in ceteros deriuaretur, eſt cõceſſum. Negabant Pontifices, Maioribus Diuis duobus, eodem ſepto eodemq́ue tecto ritè aras collocari: Regium eſt noua exempla, modò populo ſalutaria, proferre. Coëant eaſdem in ædes Mars & Mineruà: & quas ille, vix ſciente ac ſentiente domino, quodam quaſi naturæ iure ac priuilegio ſibi conſecrarat; in eas,

eas, hæc ſciente, volente, iubenteq. domino, participatâ dedicatione admittatur.

O TVAM, Godranium Collegium, vel hoc nomine fortunatiſſimam Fortunam, quòd tam Regię, tamque munificæ Inſtitutioni tua eſt permixta & quaſi confuſa Reſtitutio. Sibi ipſi REX POTENTISSIMVS illam inſtitutionem tribuit, ſibi ipſi tuam deberi voluit reſtitutionem. Nihil in illâ, nihil in iſtâ popularis gratia, nihil interceſſio, nihil prenſatio, nihil ſuffragatio ſibi vẽdicauit. Populus interceſſor, prenſator; SVFFRAGATOR VNVS, SIBIIPSI OMNIA, REX AVGVSTISSIMVS. cum quo, quidquid hoc eſt debiti, paratum, ſcriptum, contractum eſt.

MAGNVS vobis, mihi credite, Diuionenſes, Magnus tibi, Societas mea vniuerſa, obuenit Creditor: quem nos niſi omni obſequio, niſi omni amore colamus & obſeruemus, ingratiſſimi ſumus.

At tu iuuentus mea, cuius vnius gratiâ, & parentes tui, & Societas noſtra vniuerſa, hoc quidquid eſt debiti, lubentiſſimè debet; hanc nobis, hanc parentibus tuis gratiam, hunc Regi, hunc regno animum, caritatem, obſequium exhibeto, vt nec illos vnquam debuiſſe, nec Regem Auguſtiſſimum pœniteat credidiſſe.

FINIS.

NOTÆ
IN
PANEGYRICVM
ET
CHARACTERES HISTORICI AC MORALES FORTVNÆ PRIMIGENIÆ AC REVERTENTIS

eodem P. PETRO ROVERIO Auenionensi è Soc. IESV Auctore.

V. C.

STEPHANO BERNARDO

CABILONENSI PRÆTORI

P. ROVERIVS è SOC. IESV.

ET TIBI *V. C. consilium fuit, dictum Regi magno non magnum Panegyricum proferre, & mihi premere. Par erat disparis consilij causa. Tu Societatis nostræ, quam amantissimè amplecteris, interesse credideras, vt legeretur; ego, ne legeretur. Sed tu amori videlicet tuo blandissimo suasori indulgebas, me iustus timor retinebat. Nempe intelligebam scriptionem tantulam,*

quæ

quæ non nisi trepidè se in Diuionensium aures intulisset, oculos eorum non laturam. Parum distant aures ab oculis positione, multum iudicio. Ardens aliquod dictum, in ipso sermonis æstu aures facilè permeat, & animum inflammat: idem, restinctis animorum incendiis, attentis contemplantes oculis perstringit acerbiùs. Amicis etiam oculis istud interdum est fatum. Nam inimicos, qui id quod nusquam est vident, etiam moderata ac propè frigida dicta adurunt. Preßisset hoc scriptum metus iste, imò oppreßisset; nisi facta tibi illius legendi spes, ab eo viro, cui tantum in me est iuris,

quan-

quantum esse hominis in hominem potest, omni meo metu superior apud me extitisset. Libero ecce illius fidem, tempore fortasse lapsam, re auctam. Philosophum dictum est à minimè Philosopho: Omnis mora odio est, sed facit sapientiam. *Notas mihi mora ista expreßit, & geminæ Fortunæ characteres; non tibi, non iis quibus grandior genius, sed iuuentuti meæ fortasse vtiles, & ad cognitionem, & ad imitationem. Eas tibi Panegyrici appendices mitto. Tu vide V. C. quas in manus vtrumque venire patiaris. Verè Ausonius Symmacho:* Cùm semel à te carmen profectum

fectum eſt , ius omne perdidiſti. *Oratio publicata, res libera eſt; libera plauſui, ſed liberior ſibilis. Utrumque ab hoc ſcripto, & publicâ & priuatâ, & tuâ iuxtà & meâ cauſâ, obnixè deprecor. Nec diligi illud nimiùm, auctoris induſtria patitur; nec cauſæ dignitas, negligi. medium eſt, amanter vtrumque legi. Vale.*

NOTÆ

NOTÆ IN PANEGYRICVM ET CHARACTERES HISTORICI AC MORALES FORTVNÆ PRIMIGENIÆ AC REVERTENTIS.

AVCTORES *per quos iste profecit Panegyricus, nescio an aliquâ legentium, magnâ tamen & certâ causâ nostrâ profiteri iuuat & recensere.* Nam obnoxij est, *ait magnus scriptor*, animi & infelicis ingenij deprehendi in furto malle, quàm mutuum reddere. *Debitorem ista professio facit, furem silentium. Non debet autem libenter, qui ea ipsa quibus inscriptus est calendaria recognoscere fugit & recensere.* Gratum hominem semper beneficium dele-

Plin. in epist. ad Vespasianum.

Seneca 3. de beneficiis c. 17.

delectat, ingratum semel. *Parum est semel parasse, semel scripsisse debitum: transcribatur etiam in nouas tabulas, & ipsâ sui tractatione, ipsâ expositione, atque illustratione delectet. Delectet, immò prosit ei qui auctores intellexerat, quia illustrantur; qui non intellexerat, quia exponuntur.*

1. HENRICO QVARTO.] Absenti Panegyricum dicere, non est noui instituti. Tres etiamnum extant Maximiano & Diocletiano in Galliis dicti, cùm solus adesset Maximianus, alter in Oriente abesset. Nazarius haud multo posteà, Constantino itidem absenti, Panegyricum in Quinquennalibus filiorum dixit. Quacumq. enim Reges imperant, numquam auctoritate absunt. Mamertius Genethliaco Maximiani: *Neque enim pars vlla terrarum Maiestatis vestræ præsentiâ caret, etiã cùm ipsi abesse videamini.*

2. PANEGYRICVS.] Errant qui orationes Panegyricas in laude tãtùm versatas opinantur. Datum id nomen etiam suasionibus. Tullius Oratore: *Talium suasionum, qualem Isocrates fecit Panegyricum.* Fabius lib. 3. c. 4. *An quisquam negauerit Panegyricos epidicticos esse? atqui formam suadendi habent.* Deniq.

ea

ea omnis dictio, quæ ad delectationem comparata eſt, & à ciuili ſtrepitu abeſt, Panegyrici nomen obtinuit, qualis in fictitio hoc iudicio eſt. Fabius lib. 2. c. 10. *Iis actionibus, quæ in aliquâ ſine dubio veritate verſantur, ſed ſunt ad popularem aptatæ delectationem, quales legimus Panegyricos, permittitur adhibere plus cultus.* Hoc totum genus, à Sophiſtis excogitatum, μελέται appellatur; quales extant Λιβανίου καὶ Ἰμερίου μελέται. Eunapius de Nymphidiano Sophiſtâ: Κρείττων δὲ καὶ τὰς καλουμένας μελέτας. *Plus potuit in iis quæ exercitationes appellantur.* Communi Declamationis nomine Latini comprehenderunt, & ad iudicia etiam pertinere voluerunt. Fabius ibidem: *Declamatio, quoniam eſt iudiciorum conſiliorumque imago, ſimilis eſſe debet veritati.*

3. PROSOPOPOEIAM.] Non orationis tantùm ornamentum & ſchema, eſt Proſopopœia, ſed ſpecies etiam ac forma eius; tam laudationibus ac ſuaſionibus, quàm iudiciis pertractandis ſolita adhiberi. Fabius: *Longè mihi difficillimæ videntur Proſopopœiæ, in quibus ad reliquum ſuaſoriæ laborem accedit etiam perſonæ difficultas.* Et mox: *Quæ omnia videri poſſunt Proſopopœiæ; quas ego ſuaſoriis ſubieci, quia nullo alio ab eis quàm perſonâ diſtant: quamquam hæc aliquando etiam in controuerſias ducitur, quæ ex Hiſto-*

 riis

riis compositæ certiùs agentium nominibus continentur: neque ignoro plerumque poni exercitationis gratiâ & poëticas & historicas. Atque has Prosopopœias, seu personarum imitationes, in Panegyricis orationibus tractandis adhibitas olim, maximè auctor est Hermogenes tomo 2. de Ideis: Αἱ γὰρ μιμήσεις τῶν προσώπων καὶ τούτῳ χώραν ἤδη δεδώκασι· καὶ ὡς μὲν ἐν λογογραφίᾳ τοιοῦτον εἶδος εἶναι δεῖ τὸ πανηγυρικὸν, ὡς δὲ ἐν ζητήμασι πολιτικοῖς. *Fictiones enim personarum, ei,* nimirum concluso & perfecto dicendi generi, *locum dederunt: vtque in demonstratiuis talis esse debet Panegyrici forma, ita & in quæsitis politicis.* Porrò triplex ab eo forma Panegyrici per imitationem personæ construendi ibidem præscribitur: Ἐν δὲ τοῖς ἀμοιβαίοις τῶν πανηγυρικῶν, ὃ δὲ καὶ αὐτὸ πολὺ παρὰ τῷ Πλάτωνί ἐστιν, ἤδη καὶ αἱ βραχύτητες καὶ σφοδρότητες ἔχουν καιρὸν οὐκ ἐλάχιστον. & mox: Καὶ οὐ μόνον ταῦτά γε τὰ εἴδη τὰ ἀμοιβαῖα, ἀλλὰ καὶ πάντα εἴδη δέχεται διὰ τὸ μιμητικόν τε καὶ δραματικόν. *Panegyricis autem amœbæis, qui Platoni frequentes sunt, iam etiam opportunum est torosum & vehemens dicendi genus. Nec modò illud amœbæi, sed & imitatorij & dramatici admittunt.* Ego hunc meum Panegyricum Amœbæum esse censuerim: licet alia quoque genera leuiter illi sint persperſa.

4. AB-

4. ABESSE ENIM ILLVM NON SENTIO.] Haud absimili colore Nazarius Panegyristes: *Quis, oro, Constantine Maxime (præsentem enim mihi alloqui videor, qui etsi conspectu abes, reuelli tamen mentibus nostris non potes) quis, inquam, laudes tuas valeat æquipar̃adi magis spe quàm gratiâ non tac̃edi aspirare.*

5. A ROMANO REGE SERVIO.] Plutarchus ita prodidit Romanarum quæst. 74. Πάντων δὲ μάλιστα Σερούιος ἔοικε τῆς τύχης ἐκθειάσας δύναμιν ἐπιφημίσαι πράξεσιν ἁπάσαις. *Omnium verò maximè videtur Seruius donatam diuinitate Fortunæ vim ex omnibus hominum actionibus indigetasse.* Et lib. de Fortunâ Romanorum: Ἄλλαι τε μυρίαι τύχης τιμαὶ καὶ ἐπικλήσεις, ὧν τὰς πλείστας Σερούιος κατέστησεν, εἰδὼς ὅτι μεγάλη ῥοπὴ μᾶλλον δὲ ὅλον ἡ τύχη παρὰ πάντα ἐστὶ τὰ τῶν ἀνθρώπων πράγματα. *Aliæque sexcentæ Fortunæ appellationes & honores, quorum plerosque Seruius instituit, gnarus magnum momentum, imò summam esse rerum humanarum Fortunam.*

6. OBSEQVENTIS, AVERSANTIS, INVISCATÆ.] Has, aliásque id genus Fortunæ appellationes & titulos Seruio tribuit Plutarchus Rom. quęst. 74. & lib. de Fortunâ Rom. Extantque etiamnum veteres tabulæ apud Ianum Gruterum, titulo Diis dedicatorum, hisce omnibus Fortunis sacræ.

7. FORTVNAM DVPLICEM.] Plutarchus: Οὐ γὰρ μόνον τύχης εὐέλπιδος καὶ ἀποτροπαίου καὶ μειλιχίας καὶ πρωτογενείας καὶ ἄρρενος ἱερὰ κατεσκεύασεν, ἀλλ' ἔστιν ἰδίας τύχης ἱερὸν, ἕτερον δὲ ἐπιστρεφομένης. *Non enim modò Fortunæ bonæ ſpei & auerruncæ & obſequenti & Primigeniæ & maſculæ templa extruxit: ſed eſt priuatæ quoque Fortunæ templum vnum, & Reuertentis alterum.*

8. PRIMIGENIAM.] Quâ ex hominũ actione aut ſtatu ductum ſit, huius Fortunæ nomen, non eſt procliue conſtituere, aliis illud aliunde ducentibus. Plutarchus quæſt. Rom. 106. triplicem illius cauſam affert. Primam ex Seruio, nominis Auctore: cui, κατὰ τύχην ἐκ θεραπαινίδος γενομένῳ, βασιλεῦσαι τῆς Ῥώμης ἐπιφανῶς ὑπῆρξεν: *Fortunæ beneficio contigit Romæ regnare, licet ex ancillâ prognatus eſſet.* Quæ cauſa obſcura omnino eſt, nec ſatis nominis vim exprimere videtur. licet eam Latinorum eſſe omnium Plutarchus aſſerat. Sed Plutarchum exponit, vt ego quidem cenſeo, Dio lib. 42. in his verbis: Αἷμά τε ἐξ ἐργαστηρίου σιτοποιοῦ προχυθὲν, ἀφίκετο πρὸς νεὼν ἑτέρον τύχης· ἦν, ἐκ τοῦ πάντα τά τε ἐν τοῖς ὀφθαλμοῖς καὶ τὰ κατόπιν καὶ ἐφορᾶν καὶ ἐκλογίζεσθαι χρῆναί τινα, μηδὲ ἐπιλανθάνεσθαι ἐξ οἵων οἷος ἐγένετο, καὶ ἱδρύσαντο καὶ ἐπεκάλεσαν. *Sanguiſque è piſtrino effuſus, ad alterius Fortunæ templum defluxit:*

fluxit: quam, ex eo quòd quæ ante oculos & à tergo ſunt inſpicere ac meditari quiſque debeat, nec ignorare quis, ex quibus genitus ſit, dedicarunt & nominarunt. Nam & ipſo verborum ductu, & conſtanti virorum doctorum, Briſſonij, Xylandri, & eiuſdem coloris plurium ſenſu liquet, Fortunam Primigeniam hoc ambitu eſſe à Dione deſcriptam, quaſi Primigenia ideò dicta eſſet, quòd primi generis admoneret. Quod cùm eſſet Tullio ſeruile, hanc ſibi Fortunam, quaſi priſtinæ ſortis monitorem quemdam, appoſuiſſe creditus eſt. Altera nominis cauſa Plutarchi ipſius eſt, Philoſophiæ ſpeculationi, aut meliùs errori, quàm Hiſtoricæ veritati propior: Ὡς τὴν τύχην πάντων οὖσαν ἀρχὴν, καὶ τὴν φύσιν ἐκ τοῦ κατὰ τύχην συνισταμένην. *Quaſi Fortuna omnium rerum ſit principium, & natura fortuitò coaleſcat*. Tertiam addit ceteris, vt ego cenſeo, veriſimiliorem: Ὅτι τῆς Ῥώμης ἡ τύχη παρέσχε τὴν ἀρχὴν καὶ τὴν γένεσιν. *Quòd Romano imperio Fortuna initium & originem ſuggeſſiſſet*. vt hoc ſit Primigenia, quod Originaria & Primogenita. Vnde eſt quòd Rom. quæſt. 74. Πρωτογένειαν pro Primigeniâ vſurpet: & quęſt. 106. Πριμιγένειαν ἣν ἄν τις εἴποι Πρωτογένειαν: *quam dixeris Primogenitam:* & lib. de Fortunâ Rom. Τῆς Πριμιγενείας λεγομένης ὃ πρωτογόνου τις ἂν ἑρμηνεύσειε. Neſcio an eâdem no-

tione incertus Epigrammatographus, titulo εἰς Τύχλω, eam εὐγενέτειραν nominarit.

Ὄλβιον ἀνθρώποισιν ἔχει φάος ἄμβροτος αἰὼν
Σῇσιν ὑπ' ἐννεσίαις Εὐγενέτειρα τύχη.

Felicem hominibus continet lucem immortale auum ex tuo instinctu, Fortuna feliciter orta.

Est ergo mihi hoc loco iuxta Plutarchi expositionem Primigenia, quæ primò homines fortunat, primò apud eos nascitur, & bonorum eis fontem originemque conciliat.

9. REVERTENTEM.] Eadem est huius appellationis notio quæ Reducis: nisi quòd intransitiuam significationem, quam Græca vox ἐπιστρεφομένη continet, meliùs certiusque exprimit Reuertens, quàm Redux: ἀμφίβολον enim est, vtrùm Reducentem intelligas an Reductam, quòd vtramque vim habeat vox Redux. At Reuertentis appellatio, & nihil habet incertitudinis, & voci ἐπιστρεφομένη est propior. Interpres quidem Gallus, vir Græcè peritissimus, Rom. quæst. 74. reddidit *Retournée*, aptissimè ad vocem Græcam. Sed sui deinde oblitus lib. de Fortunâ Rom. reddit *Aduerse*; lapsu manifestissimo, quasi idem sit ἐπιστρεφομένη & ἀντιστρεφομένη. Nec multo meliùs vertit Budæus, *Versantem*, nullâ prouocabuli ratione habitâ, nec vsu verbi ἐπιστρέφομαι satis perspecto, quod reuerti significat in plerisque Græciæ proceribus. Synesius,

Epist.

Epist. 57. Ἅμα γὰρ ἀποστρέφεται τὴν ὕλην, καὶ πρὸς Θεὸν ἐπιστρέφεται. *Simul enim à materiâ auertitur, & ad Deum reuertitur.* Quo loco cùm opponat secum ἀποστρέφεσθαι καὶ ἐπιστρέφεσθαι, meam hanc Plutarchi interpretationem fulcit. Cùm enim Dio lib. 58. portentum illud Fortunæ à Seiano abeuntis ita efferat: Τύχης τε τὸ ἄγαλμα εἶδεν ἀποστρεφόμενον. *Fortunæ statuam vidit sese auertentem.* planum est eam, dum contrariâ voce ἐπιστρεφομένη dicitur, intelligi Reuertentem. Sed nescio an clariùs vis vocis ἐπιστρέφεσθαι exprimi potuerit, quàm expressit Heliodorus Æthiopicon libro 8. cùm de Nili flexibus ita ait: Τῆς ἐπ᾽ ὀρθὸν στάθμης τὸ ὕδωρ ἀνακοπτὲν, καὶ πρὸς ἑλιγμὸν ἡμίκυκλον ἐκτραπὲν, πρός τε τὸ ἀντίθετον τῆς ἐκτροπῆς ἐπιστρέψαν. *Rectò fluens aqua inhibetur, & in semicircularem gyrum conuersa, in contrarium conuersioni fluxum reuertitur.* Quo loco nisi ἐπιστρέψαν *reuersum* interpreteris, nec scriptorem intelligas, nec discrimen ab eo significatum, τῆς ἐκτροπῆς καὶ ἐπιστροφῆς, agnoscas. Huic interpretationi lucem dat, vicissimque accipit, Artemidorus lib. 4. cap. cui inscriptio est, περὶ προτέρας τύχης, dum sic ait: Ἃ πάλαι τις ἐκέκτητο χρήματα ἢ κτήματα, ἢ οὓς πάλαι εἶχεν ἀνθρώπους, ὅτε εὐτύχει, τούτους εἰ νῦν ἔχειν ἀπορῶν ἢ πενόμενος δόξῃ, ἀγαθὸν αὐτῷ, τῆς γὰρ τότε τύχης ὑποστροφὴν σημαίνει. *Quæ quis olim prædia aut*

pecunias possedit, aut quos olim habuit homines, dum fortunatus erat; eos si pauper & infortunatus habere sibi in somnis videatur, boni ominis est. Fortunæ enim, quæ tūc fuit, reuersionem significat. Ego non dubito, quin idem sit hoc loco τύχης ὑποστροφὴ, quod τύχης ἐπιστροφὴ seu τύχη ἐπιστρεφομένη. Facitque, vt ita censeam, vtriusq. vocis interpretatio ab Antiquis Latinitatis Auctoribus facta. Quemadmodū enim ὑποστροφὴν Glossæ veteres interpretātur *Reditum & Regressum:* ita ἐπιστροφὴ, ait Iulius Ruffinianus Rhetor vetustus, *Latinè dicitur Reuersio.* Accedit quòd nulla est Versantis Fortunę, aut Conuertentis vt alij reddūt, inter Latinos aut Gręcos auctores mentio, Reducis seu Reuertentis crebra. Nam Dio lib. 54. transitiuè nomen Reducis interpretatus, Ἐπαναγωγὸν quasi *Reducētem* appellauit: Οὐδὲν προσήκατο, πλὴν τύχῃ τε ἐπαναγωγῷ, οὕτω γάρ πως αὐτὴν ἐκάλεσαν, βωμὸν ἱδρυθῆναι, καὶ τὴν ἡμέραν ἣν ἐφίξοιτο ἔν τε ταῖς ἱερομηνίαις ἀριθμεῖσθαι, καὶ Αὐγουστάλια ὀνομάζεσθαι. *Nihil admisit, nisi vt Fortunæ Reduci, sic enim appellarūt, ara poneretur, & dies reditus eius festis accenseretur, atq. Augustalia diceretur.* Cuius aræ præclaram speciem vidi in argenteo nummo peruestuto V.C. Francisci Milliere, Senatoris Diuionensis, rerū antiquarum diligētissimi, cum hoc titulo:

FORT. RED. CÆS. AVG. S. P. Q. R.

Ex

Ex hoc loco frustrà collegerunt aliqui, Reducem Fortunam eò tantùm à Romanis cultam, quòd reditum in patriam concederet. Credita enim est etiam in honores, fortunas, pristinumque omnem statum, restituere. Quod disertim ait Claudianus de Honorio Consulatum sextum repetente:

Aurea Fortunæ Reduci si templa priores
Ob reditum vouêre ducum, non digniùs vmquam
Hæc Dea pro meritis amplas sibi posceret ædes,
Quàm sua cùm pariter trabeis reparatur & vrbi
Maiestas.

Et Pausanias Eliacon 2. Fortunam Reuertentem Olympicorum victoriam Messeniis cōciliasse ait. Nam cùm priùs dixisset: Μεσσηνίους μὲν γὰρ ἐκ Πελοποννήσου φεύγοντας ἐπέλιπεν ἡ περὶ τὸν ἀγῶνα τύχη τὸν Ὀλυμπικόν: *Messenios Peloponneso exules destitutos à Fortunâ in certamine Olympio.* addidit subinde: Συνκατῆλθε δὲ τοῖς Μεσσηνίοις ἐς Πελοπόννησον καὶ ἡ περὶ τὸν ἀγῶνα τύχη. *Reuersa est cum Messeniis in Peloponnesum Fortuna certaminum.* Latini, prȩter Victorem regione VI. & Claudianum ac Martialem, plerisque inscriptionibus apud Gruterum, ac nummis quos Adolphus Occo in opere de numismatibus retulit plusquam tricenos,

cenos, frequentem Reducis Fortunę mentionem habent. Aliquot etiam eiusdem tituli habet Anton. August. dialog. de antiquitatibus: & in hoc nostro Godranio apud Diuionenses Collegio, eruta est non pridem tabula Fortunæ Reduci sacra, atque à viro erudito Ioanne Richardo illustrata. Ego Reducem Latinis hoc ipsum fuisse numen arbitror, quod τύχη σώτειρα Græcis erat. Pindarus certè Olymp. Ode 12. cùm eam ita esset precatus:

Λίσσομαι παῖ Ζηνὸς ἐλευθερίου
Ἱμέραν εὐρυσθενέ' ἀμ-
φὶ πόλει Σώτειρα τύχα.

Supplico tibi proles Iouis liberatoris pro Imerâ latè potenti vrbe Seruatrix Fortuna. Ita deinde vim rationemque nominis illius exponit, quasi eius beneficio homines

——— ἀνιαραῖς
ἀντικύρσαντες ζάλαις
ἐσλὸν βαθὺ πήματος ἐν μι-
κρῷ πεδάμειψαν χρόνῳ.

Molestis conflictati procellis, infortunium grandi aliquo bono mox permutent.

10. FAVENTIAM ADHIBERI ET IVRGIIS LITIBVSQVE TEMPERARI.] Solemne illud in sacris omnibus, vt fauere linguis homines iuberentur, seu id esset tacere (vt quidam interpretantur) seu verba dicere

cere ominata. Accius Oenomao, ex Nonio in voce Obſcœnum:

Vos ite actutùm atque opere magno edicite
Per vrbem; vt omnes qui arcem aſteûmque accolunt
Ciues, ominibus fauſtis Auguſtam adhibeant
Fauentiam, ore obſcœna dicta ſegregent.

Obſcœna dicta interpretatur Nonius, maledica. Subſcribit Feſti epitome: *Fauentia bonam ominationem ſignificat: nam præcones clamantes, populum ſacrificijs fauere iubebant. Fauere enim eſt bona fari: at veteres Poëtæ pro ſilere vſi ſunt.*

II. MALEDICTIS ET CONTENTIONIBVS FERVEBANT.] Innatum enim veteribus illis qui Fortunæ poteſtatem in humana tribuebãt, vt eam ſemper accuſarent, dum carebant. Lactantius notauit lib. 3. cap. 28. *Cum eâ,* nempe Fortunâ, *ſe compoſitos ad præliandum putant; nec tamen rationem reddunt, à quo, & quam ob cauſam: ſed tantùm, cum Fortunâ ſe digladiari, momentis omnibus gloriantur. Iam quicumq. alios conſolati ſunt, ob interitum amiſſionemq́; carorum, Fortunæ nomen acerrimis accuſationibus proſciderunt.* Inſanam cum Laruis & Vmbris litem arguit Fabius procemio lib. 6. *Fruſtrà mala omnia ad crimen Fortunæ relegamus. Nemo niſi ſuâ culpâ diu dolet.* Seneca in hoc campo eſt,

Epiſt.

Epist. 51. *Fortuna mecum bellum gerit, non sum imperata facturus, iugum non recipio, imò quod maiore virtute est faciendum, excutio.* Et Græcus ille qui ait:

Θεῷ μάχεσθαι δεινόν ἐστι καὶ τύχῃ·

Graue est cum Deo pugnare & cum Fortunâ. Plinius proinde meritò: *Omnium vocibus Fortuna sola inuocatur, vna nominatur, vna accusatur, vna agitur rea, vna cogitatur, sola laudatur, sola arguitur, & cum conuicijs colitur.*

12. RESIGNATORE.] Ducti huc aliquot ritus ex testamento quod per æs & libram peractum, familiæque Mancipatio est appellatum. In eo enim, atque in quolibet alio, *Resignator* erat qui iuri dicendo esset prætor. Vlpianus lib. 4. D. lib. 29. *Cùm ab initio tabulæ sunt aperiendæ, prætoris officium est*, &c. Nuncupator is erat qui testamentum condebat, quòd illius esset, quæ testamento continebantur, ore nuncupare. Legibusque duodecim Tabularum sancitum erat, ita ius esse *vti lingua nuncupaßit*: quod retulit Tullius lib. 1. de Oratore. Emptor eodem in testamento imaginarius adhibebatur, qui familiam dicis tãtùm causâ emeret, quæ tamen ad alium perueniret. Miratur hunc morem Plutarchus lib. de serâ Numinis vindictâ: Ἑτέρους μὲν ἀπολιποῦσι κληρονόμους, ἑτέροις δὲ πωλοῦσι τὰς οὐσίας. *Alios quidẽ heredes instituunt, alijs*

aliis autem res suas vendunt. Antestatus is dicebatur qui testimonio dicendo signandoq́. testamento erat adhibitus, de quo lex est Decemviralis apud Agellium lib. 15. c. 13. *Qui se sierit testarier libripénsve fuerit, ni testimonium fariatur, improbus intestabilisq́ esto.* Ea antestatio quoniam imâ aure, quæ sedes est memoriæ, apprehensâ fiebat: ideò in testamento per æs & libram τῆς ὠτῶν ἐπιψαύσεις intercessisse Clemens innuit Stromatũ lib. 5. Libripens demum erat, qui libræ regendæ adscitus. ad quem eruditissimè, vt solet, Tertullianus respexit lib. 2. contra Marcionem cap. 6. Locum altiùs repetam, quia ad hanc testamentorum rationem facit: *Bonus naturâ Deus solus: qui enim quod est sine initio habet, non institutione habet illud, sed naturâ: homo autem, qui totus ex institutione est habens initium, cum initio sortitus est formam quâ esset; atque ita non naturâ in bonum dispositus est, sed institutione.* Et post pauca: *Vt ergo bonum iam suum haberet homo emancipatum sibi à Deo, & fieret proprietas iam boni in homine, & quodammodò natura de institutione adscripta est illi quasi libripens, emancipati à Deo boni libertas & potestas arbitrii: quæ efficeret bonum vt proprium præstari ab homine, quoniam & hoc ratio bonitatis exigeret voluntariè exercendæ.* Emancipatum homini à

Deo

Deo bonum aptiſſimè dixit, quia eiuſmodi teſtamenti factio, emancipatio ſeu mancipatio eſt appellata. Agellius cùm duo alia teſtamentorum genera recenſuiſſet, addit *tertium per familiæ emancipationem, cui æs & libra adhiberetur*, lib. 15. cap. 27. Atque hoc modo inſtituti heredes non in bona tantùm, ſed in nomen etiam teſtatoris adſciſci aliquando ſoliti. Suetonius in Galbâ: *Piſonem Frugi Licinianum, nobilem egregiúmq. iuuenem, ac ſibi olim probatiſſimum, teſtamentóque ſemper in bona ac nomen adſcitum, repentè è mediâ ſalutantium turbâ apprehendit.* Et teſtamento Auguſti, in quo emptor familiæ fuit Domitius, ac proinde æs & libra interceſſit, Tiberius nomen teſtatoris ferre iuſſus. Ita Suetonius in Octauio.

13. PRÆSIDES PERFECTISSIMI.] Summis tantùm dignitatibus tributum olim hoc tituli. Præſidem Galliæ Eumenius Rhetor in Oratione pro inſtaurandis Heduenſium Mœnianis ſic compellat: *Certum habeo, vir perfectiſſime.* Heduenſium dico Mœnianis, non Cliuienſium in Belgio, quod Beatus Rhenanus nobis obtrudit, quia Orationem illam apud Heduos de ſcholis Heduenſibus dictam puto. Quod hoc loco, in Heduorum gratiam, leui diuerticulo conſilium eſt approbare. Vna mihi ratio inſtar eſt om-

nium.

nium. Ciuitatem illam, in quâ Mœniana instaurari postulat Eumenius, *olim fraterno populi Romani nomine gloriatam* ipse asseruit. At soli inter Gallos Hedui hoc nomine insigniti; quod alter Panegyristes, Rhenani etiam confessione Heduus, sic affirmat: *Et cùm à ceteris Rhodano ad Rhenum vsque populis ne pax quidem posset nisi suspecta sperari, soli & consanguinitatis nomine gloriati sunt, & nuper, vt media præteream, Diuum Claudium parentem tuum ad recuperandas Gallias soli vocauerunt.* Ac ne Heduorum laudis immodicum hominem Heduum censeas, videsis Tacitum Annal. 2. *Primi Hedui Senatorum in Vrbe ius adepti sunt: datum id fœderi antiquo, & quia soli Gallorum fraternitatis nomen cum populo Romano vsurpant.* Quamobrem quòd in eâdem Eumenij Oratione Epistola Constantij sic habet: *Merentur & Galli nostri, vt eorum liberis quorum vita in Augusto Cliuiēsium oppido ingenuis artibus eruditur, & ipsi adolescētes qui hilari consensu meum* (*Constantij Cæsaris ex Italiâ reuertentis*, hæc reiicio in marginem vnde huc illata) *suscepere comitatum, vt eorum indoli consulere cupiamus.* ego non dubito, aut ab ipso Rhenano, aut ab alio Belgij ineptè studioso peruersam. Lego igitur pro *Augusto Cliuiensium*, eodem syllabarum atq. apicum ductu, *Augustodunensium.*

Oppido enim illi Cliuienſium, vix ſemel antiquis memorato, vnde iſta Auguſti appellatio aduenire potuerit, vix coniicias; cùm tamen Heduenſi oppido Auguſtoduni nomen, Antonini itinerarium, tãto antè ſcriptũ, ſemper tribuerit. Rhenanum quòd incuſem falſi, ipſe cauſa eſt: qui enim ſemel apertè falſus, cauſa eſt cur ſæpè & in occulto falſus cenſeatur. At ecce Rhenanus alium Panegyricum Maximiano dictum ſic prænotat: *Et hic videtur Panegyricus à Belgâ quopiam dictus, qui litteras ac oratoriam aliquando docuerit*. Hæc Rhenanus; ſed is ipſe, qui Panegyricum habet, ſic ait: *Illa, cuius nomine mihi peculiariter gratulãdum, deuotiſſima vobis ciuitas Heduorum, ex hac Britannicæ facultate victoriæ plurimos, quibus illa Prouinciæ redundabant, accepit artifices; & nunc extructione veterum domorum, & refectione operum publicorum, & templorum inſtauratione conſurgit; nunc ſibi redditum vetus illud Romanæ fraternitatis nomen exiſtimat, cùm te rurſus habeat conditorem*. Hæc Belgam an Heduum ſapiant, pronum eſt iudicare: quæ ego ideò fuſiùs repetij, quia ex illis extremâ quaſi machinâ mihi obtinere videor quod quæro, Auguſtodunenſium non Cliuienſiũ fuiſſe illa Mœniana, pro quibus Eumenius perorauit. Quis enim hæc de Heduis dicta cùm legit, Eumeniũ ipſum

ſibi

ſibi nõ videtur audire; ipſâ de ciuitate, in quâ erant Mœniana, eiſdem propemodum verbis dicentem? *Ante omnia igitur, vir perfectiſſime, diuinæ Imperatorum Cæſarûmque noſtrorum prouidentiæ, ſingularíque in nos beneuolentiæ, huius quoque operis inſtauratione parendum eſt; qui ciuitatem iſtam, & olim fraterno populi Romani nomine gloriatam, & tunc demum grauiſſimâ clade perculſam, cùm latrocinio Batauicæ rebellionis obſeſſa auxilium Romani principis irrogaret, non ſolùm pro admiratione meritorum, ſed etiam pro miſeratione caſuum attollere ac recreare voluerũt.* Et mox: *Itaque maximas pecunias, & totum ſi res poſcat ærarium, non templis modò ac locis publicis reficiundis, ſed etiam priuatis domibus indulgent; nec pecunias modò, ſed etiam artifices transmarinos.* Videas vtrobique fraternitatem Romanam; reſtaurationem domorum priuatarum, templorum, operum publicorum, &, quod inſigne eſt, artifices tranſmarinos, ſeu ex Britanniâ aduectos; vt nulla eſſe poſſit dubitatio, quin eadem Heduorum ciuitas vtrâque oratione ſit expreſſa, alibi ſignis & nomine, alibi ſignis ſine nomine. Ita Panegyricos duos Belgis antehac tributos, Heduenſibus aſſertum iuimus; tertium neſcio an eôdem poſſimus ducere, qui Conſtantino Conſtantij filio dictus eſt. Is quidem, qui il-

lum dixit Panegyricum, sic ad finem ait: *Ipsam denique patriam meam ipsius loci veneratione restitues; cuius ciuitatis antiqua nobilitas, quondam fraterno populi Romani nomine gloriata, opem suæ maiestatis expectat.* Sed non patitur se eodem duci qui ciuitatem suam sub Constantino restitutam negat, cùm Heduensis ciuitas sub parente illius Constantio fuerit restituta. Quamobrem non temerè dixerim, illam ciuitatem nondum sub Constantino restitutam, & fraterno populi Romani nomine gloriatam, esse Aruernorum ciuitatem Nam cùm fraternitas populi Romani ciuitatibus obueniret, aut ex Romani Senatus decreto, aut ex eo quòd Troianæ se originis aliquæ esse iactarent, quæ eadem fuit & populi Romani; soli eam Gallorum Hedui Senatusconsultis adepti, Aruerni ex fabulosæ originis similitudine vsurparunt. De Heduis quidem sic Panegyristes Heduus: *Quænam igitur gens toto orbe terrarum in amore Romani nominis Heduis se postulet anteponi, qui primi omnium inter illas immanes & barbaras Galliæ gentes plurimis Senatusconsultis fratres populi Romani appellati sunt.* Atque vt Heduorum à ceteris orbis gentibus in Romanâ fraternitate discrimen demonstraret, subdit post pauca: *Imputauere se origine fabulosâ in Siciliâ Mammertini, in Asiâ Ilienses;*

Ilienses; soli Hedui, non metu territi, non adulatione compulsi, sed ingenuâ & simplici caritate, fratres populi Romani crediti sunt appellaríque meruerunt. At Aruerni vnde sibi hoc fraternitatis nomen adsciscerēt, liquidò constat ex Sidonio eorum Episcopo lib. 7. ad Græcum: *Facta est seruitus nostra pretium securitatis alienæ; Aruernorum, prô dolor, seruitus: qui, si prisca replicarentur, audebant se quondam fratres Latio dicere, & sanguine ab Iliaco populos computare.* Sed tandem è semiin viam redeo; & Perfectissimos aduerto non modò Prouinciarum Præsides, sed militum etiam duces nominatos. Ammianus lib. 21. *Nec sub eo dux quisquam cum Clarissimatu prouectus est; erant enim, vt nos quoque meminimus, Perfectissimi.* Hæc quidem hactenus bellè conueniunt cum Lactantio lib. 5. c. 15. sic ad istos dignitatis titulos alludente: *Nemo Clarissimus, nisi qui opera misericordiæ largiter fecerit; nemo Perfectissimus, nisi qui omnes gradus virtutis impleuerit.* Perfectissimum enim intellexisse videtur, eum qui supremum dignitatum fastigium attigerit. At nescio, an postremis sæculis, quæ vt libertatis magis indiga, ita titulorum magis prodiga fuere, in minores etiam dignitates non fuerit hoc tituli participatum. Symmachus certè illum Rationali Imperatoris tribuit lib. 10. epist. 55.

Nam cùm apud virum Perfectiſsimum Rationalem Baſsianum primò delator bonorum ſecundùm ſacra ſcita peteretur, nouo auſu calcata præſcriptio eſt.

TEMPLVM FORTVNÆ PRIMIGENIÆ.

14 IN CVIVS SVPERCILIO ÆDES ASSVRGIT.] Primigeniæ Fortunæ nō vnum nec vno loco templū. In colle Quirinali P. Sempronius Sophus illi ædem collocauit ſecundo bello Punico, vt ſcripſit Liuius lib. 29. *Conſul principio pugnæ ædem Fortunæ Primigeniæ vouit.* & lib. 34. *Aedem Fortunæ Primigeniæ in colle Quirinali dedicauit Q. Martius Ralla, duumvir ad id ipſum creatus: vouerat eam decem annis antè Punico bello P. Sempronius Sophus.* Sed hac multò antiquior erat ea, quam Seruius Rex dedicauerat in Capitolio; de quâ Plutarchus: Ἱδρύσατο δ᾽ οὖν Τύχης ἱερὸν ἐν μὲν Καπιτωλίῳ τὸ τῆς Πριμιγενείας λεγομένης. *Extruxit itaq. templum Fortunæ in Capitolio quidem eius quæ dicitur Primigenia.* Quamuis enim præcipuum eſſet in Capitolino colle Iouis templum; multa tamen alia ibidem, atque in toto eo ſpatio quod Palatinum & Capi-

Capitolinum collem coniungebat, variis temporibus ſunt inædificata.

15. INSTAVRATORE NERONE.] Plinius lib. 36. c. 22. quid Nero in Fortunæ templo præſtiterit, ſic refert: *Nerone Principe in Cappadociâ repertus eſt lapis duritiâ marmoris, candidus atque tranſlucens, etiam quâ parte fuluæ inciderant venæ, ex argumento Phengites appellatus: hoc conſtruxerat ædem Fortunæ, quam Seiam appellant, à Seruio Rege ſacratam, aureâ domo complexus.* Quo ex loco non ineptè mihi videor aſſecutus, Primigeniæ templum eſſe à Nerone rurſum extructum lapide illo Phengite. Sed ante omnia Plinius mihi morbo, in quo iacet, liberandus. *Fortunæ*, inquit, *quam Seiam appellant.* Emendo non dubiâ manu: *Quam Seiani appellant.* Ita ſe olim Hermolaus Barbarus in vetuſtis codicibus legiſſe ait: *Quam Seiani appellatione dicabat.* Ita in manu ſcriptis codicibus editio Plinij, quam elaborauit Daleſcampius, fuiſſe præfert: *Quam Seiani appellant.* Hermolaus emendauit primus *Sellam*; Giraldus deinde, *Seiam:* ego omnino antiquo, & *Seiani* lego. Mouet enim me Dio verbis illis libri 58. Τύχης τε τὶ ἄγαλμα ὃ ἐγεγόνει μὲν (ὥς φασι) Τύλλου (*emendo ex Plinio* Τυλλίου) τοῦ βασιλεύσαντος ποτὲ ἐν τῇ Ῥώμῃ, τότε δὲ ὁ Σηιανὸς οἴκοι τε εἶχε καὶ μεγάλως ἤγαλλεν αὐτὸς θύων εἶδεν ἀποστρεφό-

μένον. Et Fortunæ simulacrum quoddam, quod fuerat quidem, vt aiunt, Tullij, qui Romæ olim regnauit; tunc verò Seianus domi habebat & magnopere diligebat; ipsemet sacrificans vidit sese auertere. Nimirum Fortuna illa à Seruio pridem dedicata, sed à Seiano in domum suam translata, ex tam insigni portẽto, aut credito aut viso, Seiani deinde nomen retinuit. Quò pertinet quod Plinius lib. 8. c. 48. *Seruij*, inquit, *Tullij prætextæ, quibus signum Fortunæ ab eo dicatæ coopertum erat, durauere ad Seiani exitum.* Mira enim est ista temporis nota ex Seiani exitu, si ad illum nihil Seruiana Fortuna pertinuit. Sed facile est coniicere Seiani exitu Fortunam illam domo eius ablatam, tuncque prætextas sine vitio esse compertas. Iam Fortunam istam Seiani à Nerone domo aureâ comprehensam, Primigeniam nostram fuisse persuadet locus, in quo tam Primigeniæ quàm Seianæ templum constituitur: illam enim Seruius, vt probaui, in Capitolio dicauit: huius templum in eadem Capitolij regione P. Victor constituit. Cùm ergo eodem in Capitolio, tam Seiana quàm Primigenia collocentur, nec aliud à Seruio exstructum Fortunæ in Capitolio templum quàm Primigeniæ memoretur; coniectura est, Primigeniam à Seiano vsurpatam, Seiani, postquam reddita est, nomen obtinuisse.

Eam

Eam porrò aureâ domo complexum esse Neronem nihil vetat: *domum* enim *à Palatio Esquilias vsq. fecit. quam primò transitoriam, mox incendio absumptam, restitutámque, Auream nominauit*: Suetonius Nerone c. 31. Atqui in hunc ambitum, quia Palatio ad Esquilias erat, incurrisse necesse fuit extremũ Capitolini collis latus, quia Meridiem respiciebat & Quirinali iungebatur. Quod latus ad regionem Vrbis sextam pertinuit, quę Alta Via nominata est; eiusque in exitu, Fortunę Seiani templum à P. Victore collocatur, haud procul à Capitolio veteri. Duo enim Romæ fuisse Capitolia, vetus & nouum, non ipse modò P. Victor, sed is etiam qui notitiá Imperij edidit, annotarunt: sic enim iste regione sextâ: *Alta Semita continet templum Salutis & Serapis, templum Floræ, Capitolium antiquum.* Rursum regione octauâ: *Templum Concordiæ, vmbilicum Romæ, templum Saturni & Vespasiani, Capitolium, Miliarium aureum Iuliæ.* Ac ne putaretur bis ab eo repetitum Capitolij nomen ex vicinitate regionum; breuiarium Vrbis attexens, diserte ait: *Capitolia duo, Circi duo, Amphitheatra duo.* Ex quibus firmatur mea coniectura, Seianam illam Fortunam fuisse Primigeniam. Vt enim Seiana fuit in Capitolio veteri, ita & Primigeniam fuisse est necesse: vnico tum Capitolio, Ro-

mâ vixdum naſcente, exædificato. Sed hæc hactenus de Templi ſitu, nunc formam eius videamus.

16. FORES ILLI FERME OCCLVSAE.] Plinius lib.36.c.22.de templo Fortunę Seiani: *Quare etiam foribus apertis interdiu claritas ibi diurna erat*. Ita vulgati codices, præter omnem Plinij mentem: quid enim mirum claritatem diurnam in templo illo eſſe, interdiu foribus apertis? Reſcribo audacter, exigente ſententiâ: *Foribus opertis:* vel, vt Daleſcampij editio, *non apertis*, cum particulâ abnutiuâ. Giraldus olim legit *opertis*.

17. NVLLA IN AMBITV APERTA LVMINA.] Hoc planè conficitur ex Plinij deſcriptione, qui ſic ait: *Quare etiam foribus opertis interdiu claritas ibi diurna erat, haud alio quàm ſpecularium modo, tamquam incluſâ luce, non tranſmiſſâ.* Quòd enim ſolem eodem modo in hoc templum admiſſum ait, quo in ſpecularibus; ſatis conſtat, non apertis feneſtris, ſed tranſlucentiâ lapidum affuſum eſſe. Specularia certè ſolem hoc modo reddidere, & feneſtris caruere. Vtrumque à Senecâ habeo. Primum, Epiſt.90. *Quædam noſtrâ demum prodiſſe memoriâ ſcimus; vt ſpeculariorum vſum, perlucente teſtâ clarum tranſmittentium lumen.* Alterum lib. de Prouidentiâ cap.4. *Quem ſpecularia ſemper ab adflatu vindica-*

dica-

dicarunt, cuius pedes inter fomenta ſubinde mutata tepuerunt, cuius cœnationes ſubditus & parietibus circumfuſus calor temperauit, hunc leuis aura non ſine periculo ſtringet. Non potuerunt ſpecularia ab adflatu vindicare, luminibus apertis: nullæ ergo in illis, nullæ in templo, ad eorum modum illuminato, apertæ ſoli feneſtræ.

IMAGO FORTVNÆ PRIMIGENIÆ.

Primus & ſecundus Character, Imprudentia & Imperitia.

18. VIRGINEM PVELLARIBVS IN ANNIS.] Imaginem Primigeniæ Fortunę, partim ab hiſtoriâ, partim à fortunatorum moribus, tralaticiis quaſi characteribus efformaui; quibus orientis primùm & malorum inexpertæ felicitatis ingenium agnoſci poſſit. Multa de primore hac Fortunâ diſtinctè ab auctoribus antiquis dicta, multa etiam de Fortunâ vniuersè atque indiſtinctè pronuntiata,

tiata, prout in Primigeniam conuenire maximè videbantur, in hanc imaginem deriuaui. Puto nec ſine exemplo, nec ſine iudicio. Ac primum quòd Virginem illam puellaribus in annis dico, aliquid habet tum omni Fortunæ commune, tum iſti proprium. Commune eſt Fortunæ omni, muliebri ſpecie deſignari: cuius rei cauſam habet Iſidorus Peluſiota lib. 3. Epiſt. 154. Τίς δὲ τούτων ἁπάντων ἑαυτὸν ὑπεξαγαγὼν, ἐπιτρέψει τὰ καθ' ἑαυτὸν τῇ λεγομένῃ τύχῃ; ἧς τὴν μοχθηρίαν δηλῶσαι ἐθελήσαντες οἱ γράφοντές τε καὶ πλάττοντες, οὐ μόνον εἴδει γυναικὸς ἠρκέσθησαν, καίτοι καὶ τοῦθ' ἱκανὸν τῆς ἀλογιστίας καὶ ἀνοίας τεκμήριον. *Quis ſe ab iſtis omnibus aſſerens, res ſuas Fortunæ (vt vocant) arbitrio permittat? cuius nequitiam notare volentes ſcriptores ac pictores, non ſatis habuerunt femineâ ſpecie eam inſignire, licet hoc ſatis magnum ſit amentiæ & imprudentiæ ſignum.* Atque hæc quidem muliebris ſpeciei ſignificatio, nulli ex omni hominum Fortunâ aptiùs quàm Primigeniæ conuenit; cui ex mali inſcitiâ propria eſt & ingenita IMPRVDENTIA. Vetus verbum eſt: Κακῶς φρονοῦσι πράσσοντες καλῶς: *Peſſimè conſulunt qui fortunatiſſimi ſunt.* & Mimus palàm ait:

Fortuna nimiùm quem fouet, ſtultum facit.

Quædam vini ebrietas eſt, quædam etiam Fortunæ. atque vt illa firmo etiam cerebro homi-

homines commouet, imbecillos omnino dimouet: ita iſta quamlibet prudentes deludit, imprudentes planè dementat. Apollinea vox eſt Epicteti: Εὐτυχίας ὥσπερ μέθης ἄφρων ἐπὶ πλεῖον ἀπολαύσας, ἀνοητότερος γίνεται. *Felicitate quaſi ebrietate plus ſatis plenus imprudēs, imprudentior euadit*. Hoc verò cauſæ fuit, quamobrem in narratione illâ ſeu figmento æris Pamphilij de animarum ante vitam ſortitione, quæ eſt apud Platonem lib. 10. de Repub. cùm terreni, vt ipſe appellat, homines, laboribus ſcilicet exercitati, in vitæ genere deligendo prudentiſſimi eſſe fingantur; cęleſtes ex aduerſo, & infortuniorum imperiti, imprudentiſſimè ſortiantur: Ὡς δὲ καὶ εἰπεῖν οὐκ ἐλάττους εἶναι ἐν τοῖς τοιούτοις ἁλισκομένους τοὺς ἐκ τοῦ οὐρανοῦ ἥκοντας, ἅτε πόνων ἀγυμνάστους· τῶν δὲ ἐκ τῆς γῆς τοὺς πολλοὺς, ἅτε αὐτούς τε πεπονηκότας, ἄλλους τε ἑωρακότας, οὐκ ἐξ ἐπιδρομῆς τὰς αἱρέσεις ποιεῖσθαι. *Pleroſque fermè ex his qui in eiuſmodi ſortitione deciperētur, eſſe qui è cælo prodirent, ac laboribus inexercitati eſſent. At qui è terrâ erant, vtpote laborum experientes, & qui alios laborantes vidiſſent, non curſim nec temerè eligere ſolitos eſſe.* Optabat aliquando Socrates, ἐπὶ ἑστίας φαίνεσθαι τὸ πῦρ λαμπρὸν, ἐπὶ δὲ τῆς εὐτυχίας τὸν νοῦν: *in foco lucere ignem, in felicitate prudentiam*. Sed optabat magis quàm ſperabat, ſi excellens eſſet felicitas. Τὸ γὰρ ὑπεράτ-

πράττειν, ait Demosthenes Olynthiacâ primâ, παρὰ τὴν ἀξίαν, ἀφορμὴ τοῦ κακῶς φρονεῖν τοῖς ἀνοήτοις γίνεται. *Fortunatè enim præter meritum agere, illecebra est imprudentiæ stultis.* Hinc mihi existit primus Fortunæ Primigeniæ Character, IMPRVDENTIA.

Attexo huic secundum, ex Puellari Fortunę ætate, quam ei Martianus Capella lib. 1. tribuit: *Tunc omnium garrula puellarũ.* & paulo inferiùs: *Rapiẽs his comas puellariter, caput illis virgâ comminuens, eisdem quibus fuerat eblandita, ictibus crebris verticem complicatis in condylos digitis vulnerabat.* Huic verò ætati ingenita est IMPERITIA, vtpote rerum omnium inexpertę. Homerus ideò imperitos νηπίους & pueros appellare consueuit. At Fortunæ hominum intemeratæ & integræ Imperitia, tum sui, tum aliorum plerumque, ab antiquis adscripta. Seneca ad Fortunatum huius notæ: *Nemo sciet quid potueris, ne tu quidem ipse:* lib. de Prouidentiâ cap. 4. & Sapiens Sirach. cap. 24. *Qui non est tentatus quid scit?* Neque verò Vlysses illud tantùm est assecutus, ex eo quòd μάλα πολλὰ πλάγχθη, *multis vexatus est erroribus*, vt πολύμητις ac prudens meritò diceretur; sed istud etiã, quòd

Πολλῶν δ᾽ ἀνθρώπων ἴδεν ἄστεα καὶ νόον ἔγνω.

Multorum hominum vrbes vidit & mores nouit.

quâ

quâ cognitione funditus erat cariturus, si in Penelopes gremio, inter opes & armenta sua, consenuisset. Ergo secundus Primigeniæ Fortunæ Character esto IMPERITIA.

Tertius Primigeniæ Character, Leuitas.

19. ALATIS AD PEDES TALARIBVS.] Triplici quasi ductu Character iste adumbratus est; alatis Fortunæ talaribus, incessu vacillante, & crinibus collo iactatis. Ac talia quidem Fortunæ non minùs quàm Mercurio olim attributa. Plutarchus de Fortunâ Rom. Ἐξέβη τῶν πεδίλων: *Exuit talaria.* Fuere illa leuitatis argumentum, quia pennata; qualis & Fortuna credita ab Horatio lib. 3. Ode 29.

——Si celeres quatit
Pennas, resigno quæ dedit.—

Quò etiam pertinet incessus ille lapsabũdus & varius, qui à me hoc loco, & à Martiano Capellâ tanto antè descriptus lib. 1. de nuptiis Philolog. & Mercurij: *Tunc etiam omnium garrula puellarum, & contrario semper fluibunda luxu* (emendo *fluxu*, aut *flexu*) *leuitate pernix desultoriâ gestiebat, quam alij Sortem asserunt, Nemesimq́; nonnulli, Tychenq́; complures.*

plares. Plutarchus de Fort. Rom. Τῆς δὲ τύχης ὀξὺ μὲν κίνημα. *Fortunæ properus incessus*. At in capillo ventis & flatibus permisso Apuleium sum secutus Metamorph. lib. 11. quo loco hæc de Rhamnusiâ seu Fortunâ, quam Isidem ab Ægyptiis, ab aliis aliter nominatam asserit: *Iam primùm crines vberrimi prolixique, & sensim intorti, per diuina colla passim diuersi, molliter defluebant*. Iuuenilis illud leuitatis est argumentum, ad pulchritudinis accessionem spectare creditum. Heliodorus lib. 2. Κόμην εἰς ὀφρὺν ἕλκουσιν καὶ σοβοῦσι τῶν ὤμων ἐπιβαίνουσαν, εὖ τοῦτο εἰδότες ὡς κόμη τοὺς μὲν ἐρωτικοὺς ἱλαρωτέρους, τοὺς δὲ λῃστρικοὺς φοβερωτέρους ἀποδείκνυσιν. *Comam in supercilia demittunt, & humeris sparsam quatiunt, gnari eam pulchellos homines hilariores, latrones terribiliores efficere*. Ac cùm leuitas Fortunam omnem insigniat, non facilè tamen vllam inueneris, in quâ expressior sit leuitas, quàm in Primigeniâ. Ingenium est eorum, quibus primùm Fortuna arrisit, vt præsentia facilè fastidiant dum maiora expectant. *Ita eos felicitas ingrata præterfluit*, ait Panegyristes ad Constantinum, *vt præsentibus careant, dum futura prospectant*. Nemo vel summam Fortunam, si prima aduenerit, summam credidit, & succedentis felicitatis lenocinium quoddam est antecedens. Medicinam ei morbo facere sapien-

ſapienti verborum pharmaco laborabat Epictetus, dum diceret: Τῆς εὐτυχίας ὥσπερ ὀπώρας παρούσης ἀπολαύειν δεῖ: *Proſperitate vt pomis, cùm primùm adeſt, vtendum*. Primus iſte eſt quaſi gradus eius, quæ in Primigeniâ eſt, leuitatis. Ex quo ſecundo quaſi gradu tranſitus eſt in Primæuæ Fortunæ iacturam: quidquid enim negligentiùs retinetur, facillimè deperditur. Quod neſcio an præclariùs exprimi poſſit quàm à Luciano in Imaginibus eſt expreſſum: Ἐπειδὰν αὐτοὺς ἡ τύχη μηδὲν τοιοῦτον ἐλπίσαντας ἄφνω ἀναβιβάσῃ ἐς πτηνόν τι καὶ μετάρσιον ὄχημα, οὐ μένουσιν ἐπὶ τῶν ὑπαρχόντων, οὐδ' ἀφορῶσι κάτω, ἀλλ' ἀεὶ πρὸς τὰ ἄνω ἀτενὲς βιάζονται. τοιγαροῦν ὥσπερ ὁ Ἴκαρος, τακέντος αὐτοῖς τάχιστα τοῦ κηροῦ καὶ τῶν πτερῶν περιρρυέντων, γέλωτα ὀφλισκάνουσιν, ἐπὶ κεφαλὴν εἰς πελάγη καὶ κλύδωνα ἐμπίπτοντες. *Cùm primùm eos Fortuna inopinatò in currum quemdam volatilem & ſublimem euexit, non ſunt contenti præſentibus, nec deorſum vmquam reſpiciunt, ſed in ea quæ altiora ſunt enixè contendunt: quare non rarò in modum Icari, liquefactâ celeriter cerâ, & defluente remigio, ridiculè in marinos fluctus capite aguntur*. Quo fit vt non illepidè, mutabilitatis huiuſce nomine, Fortunam cõtulerit Piſidas cum muliere cauponiâ, quæ hauriendæ in Thermopolio aquæ operam præbeat, lib. 1. Epigr. titulo εἰς τύχην.

Τύχη καπηλεύουσα πάντα τὸν βίον,
Καὶ συγκυκῶσα καὶ μεταντλοῦσα πάλιν.
Fortuna vitam totam cauponatur,
Infundens ac deinde rursum hauriens.

Philosophus verò Teles apud Stobæum sermone 254. cum poëtriâ cōponit: Ἡ τύχη ὥσπερ ποιήτριά τις οὖσα παντοδαπὰ ποιεῖ πρόσωπα. *Fortuna perinde ac poëtria plurimas effingit personas.* Nimirum vt in opere poëtriæ, quod ait Arbiter,

Grex agit in scenâ mimum; pater ille vocatur,
Filius hic, nomen diuitis ille tenet:
Mox vbi ridendas inclusit pagina partes,
Vera redit facies, dissimulata perit:

ita & in Fortunæ negotio velocissima est personarum permutatio. Incertus auctor in Epigramm. lib. 1. eam meretrici confert, vtpote,

Πόρνης γυναικὸς τοὺς τρόπους κεκτημένην.
Meretricios sortitam mores.

Vt enim meretrix neminem amat, dum amatores perpetuò mutat; ita & Fortuna. Eleganter Pisidas libro de vanitate vitæ Fortunam sic appellat:

Ἡ μαχλὰς ὄντως ἢ ποθεῖ μὲν οὐδένα,
Ἐρᾶν δὲ παντὸς σχηματίζεται πόθου.
Germana meretrix quæ neminem amat,
Amare autem ardenter simulat.

Denique eamdem saltatrici haud absimilem dixit Pisidas, eodem loco, quòd in eosdem recur-

recurrat circulos; & quæ confecit, celeriter retexat:

> Ἡ γὰρ παρ' ἄλλοις ὠνομασμένη τύχη,
> Εἰκών τίς ἐστι ἀπρεποῦς ὀρχηστρίδος
> Ἐν τοῖς ἑαυτοῖς ἀντιπλωμένης στρόφοις.
> *Quæ enim vulgò Fortuna dicitur,*
> *Imago quædam est indecoræ saltatricis,*
> *Eisdem recurrentis vestigiis.*

Ex quibus meritò Fortunæ Primigeniæ Character tertius est LEVITAS.

Quartus & quintus Primigeniæ Character,

Impudentia & Insolentia.

20. FRONTEM HABET PRO MORVM MODVLO MINIMAM.] Non magis pudoris sedes est in fronte, quàm modestiæ; nec magis fronte carere impudentes dicuntur, quàm insolentes. De impudente dixit Satyricus:

> —*Exclamet Melicerta perisse*
> *Frontem de rebus.*

De insolente interpretor Epigramma illud in Pomponium Marcellum, quod est apud Suetonium de illustribus Grammaticis:

> *Qui caput ad lævam didicit, glossemata vobis*
> *Præcipit: os nullum, vel potiùs pugilis!*

In quo legerim ego, si arbitrij mei res sit, *Qui caput ad læuam ducit.* qui arrogantis & despicacis gestus est; cui conuenit quod additur, *os nullum, vel potiùs pugilis.* vt enim perfrictum est pugilibus os, ita & tumidis atque insolentibus. Non est tamen eadem animi labes *Impudentia* & *Insolentia*; sed illa in sermone, ista in sensu arroganti sita est. Ita distinxit Aristoteles qui 1. magnorum Moral. cap. 26. sic describit insolentes: Οἱ μὲν οὖν ἐυκαταφρόνητοι ὄντες καὶ φαῦλοι, μεγάλων δ' αὐτοὺς ἀξιοῦντες, καὶ πρὸς τούτοις τιμᾶσθαι οἰόμενοι δεῖν, χαῦνοι. *Qui de se superbè sentiunt, cùm nequam sint, & se magnis dignos censent honoribus, insolentes sunt.* At cap. 30. impudentem sic expressit: Ὁ μὲν γὰρ ἀναίσχυντός ἐστιν, ὁ ἐν παντὶ καὶ εἰς πάντας λέγων καὶ πράττων ἃ ἔτυχεν: *Impudens est, qui in omnibus, & in omnes quiduis dicit aut facit.* Sequitur omnino Fortunam primò nascentem Impudentia, & hominem fingit, quod ait Lucianus in Imaginibus, κατὰ τὴν Ὁμήρου Ἄτην ἐκείνην ἐπ' ἀνδρῶν κράατα βεβηκότα, καὶ ὑποδέξεσθαι πατοῦντα· ὅπερ οἱ ταπεινοὶ τὰς γνώμας πάσχουσιν ἀπειροκαλίᾳ τῆς τύχης: *ad modum Homericæ illius Ates, super hominum capita incedentem, & subiecta calcantem; quod abiectis animis & imbecillis euenit ex Fortunæ proteruiâ.* Ita secundam Fortunam plerique produnt; nec in se modò aut in alios, sed in

ipsam

ipſam etiam Fortunam ſunt iniurij. Iſocrates de illis ad Demonicum: Δικαίως δ' ἂν τοὺς τοιούτους ὑπολάβοιμεν μὴ μόνον εἰς ἑαυτοὺς ἁμαρτάνειν, ἀλλὰ καὶ τῆς τύχης εἶναι προδότας. *Iure autem eos dixerimus non in ſeipſos tantùm peccare, ſed & Fortunæ eſſe proditores.* Nimirum quòd ipſam, benè eis quos adiit facientem, in maleficij & iniurię in alios occaſionem trahant. Pulchrè Plutarchus Theodori, qui Atheos appellatus eſt, elegans dictum in eiuſmodi homines torſit: Ἔλεγε τῇ δεξιᾷ τοὺς λόγους ὀρέγοντος αὐτοῦ, τῇ ἀριστερᾷ δέχεσθαι τοὺς ἀκροωμένους· οἱ δ' ἀπαίδευτοι πολλάκις τὴν τύχην δεξιὰν παρισταμένην ἐπαριστέρως μεταλαμβάνοντες ἀσχημονοῦσι. *Dixit* Theodorus *dextrâ ſe porrigere verba ſua, auditores ſiniſtrâ accipere. At imperiti homines ſæpè Fortunam dextrâ adſtantem ſiniſtrè accipientes turpiter agunt.* Ex quo meritò ductus quartus Primigeniæ Character, IMPVDENTIA.

Indidem mihi Character quintus ſumendus vnde & quartus: nec enim minus Inſolentiæ ſignum eſt frons exigua quàm Impudentiæ, nec minùs recentis ac nouitiæ Fortunæ illa quàm iſta propria eſt. Auctor Controuerſ. apud Senecam lib. 2. Controuerſ. 1. *Nihil eſt inſolentius nouitio diuite.* Sed præclariſſimè Aſdrubal in Romano Senatu, vt ſcripſit Liuius lib. 30. *Ex inſolentiâ*, inquit,

 quibus

quibus noua bona fortuna sit, impotentes lætitia insanire; populo Romano vsitata, ac propè iam obsoleta ex victoriâ gaudia esse. Nescio an illa verè dixerit apud Arbitrum: *Raram facit mixturam cum sapientiâ forma.* Verè tamen dixerim ego: Raram facit mixturam cum moderatione recens prosperitas. Assentit Latinus Philosophus lib. 2. de Irâ: *Quidquid leue & inane in animo est, secundâ se aurâ sustollit.* Nec abs re Plutarchus noster, *Fortunæ*, ait, θρασὺ τὸ φρόνημα, καὶ μεγαλαύχων ἡ ἐλπὶς: *arrogans sensus & grandis spes*: lib. de Fort. Rom. Infortunata planè Fortuna, ipsoque infortunio deterior! Benè Tacitus censuit: *Multos qui conflictari aduersis videantur, beatos; ac plerosque, quamquam magnas per opes, miserrimos; si illi grauem Fortunam constanter tolerent, hi prosperâ inconsultè vtantur.* Hoc viderat ille Barbarus, qui secundo Fortunæ suæ decursu insolescẽtem Alexandrum non barbarè admonebat: *Impone felicitati tuæ frenos; faciliùs illam reges.* & rursum; *Vide ne dum ad cacumen peruenire contendis, cum ipsis ramis, quos comprehenderis, decidas.* apud Curtium lib. 7. Sic existit quintus Primigeniæ Character INSOLENTIA.

Sextus

Sextus Primigeniæ Character, Simulatio.

21. VVLTVS, SI NEGLECTIM ASPEXERIS, VIRTVTEM SIMVLAT.] Duarum rerum sui perquam dissimilium æmula esse solet Fortuna, ob effectorum, quæ ab vtrâque sunt, cum Fortunæ effectis similitudinem. Altera est Solertia, altera Virtus. De illâ vox est Aristotelis Rhetor. lib. 1. Αἰτία δ' ἐστὶν ἡ τύχη ἐνίων μὲν καὶ ὧν αἱ τέχναι. *Quorumdam est causa Fortuna, quorum & artes.* Eamque ob rem, dictum illud à politissimo Agathone, Aristoteles idem retulit, lib. 6. Ethic. ad Nicomachum:

Τέχνη τύχην ἔστερξε, καὶ τύχη τέχνην.
Ars Fortunam amat, Fortuna artem.

At de Virtute dicendum Plutarchus censet, quod de Sapientiâ vetus Poëta Ion: Ἀνομοιότατον πρᾶγμα τῇ σοφίᾳ τὴν τύχην οὖσαν, ὁμοιοτάτων πραγμάτων γίνεσθαι δημιουργόν. αὔξουσιν ἀμφότεραι, προσκοσμοῦσιν ἄνδρας, εἰς δόξαν ἀνάγουσιν, εἰς δύναμιν, εἰς ἡγεμονίαν. *Fortunam sapientiæ dißimillimam, similium tamen rerum effectricem esse. Auget vtraque & ornat hominem, ad decus, potentiam, principatum promouet.* lib. de Fort. Rom. Nec absimilis sensus Comici Pseudolo:

 —Prein-

——Proinde vt quiſque Fortunâ vtitur,
Ita præcellet, atque exinde ſapere eum omnes
dicimus.

Error iſte eſt, & deluſi animi lapſus: videntur eadem ambo facere, non faciunt tamen. Non eſt idem dignitatẽ perpetuam conſtantemq́ue tribuere, & temporariam volaticamq́ue gloriam commodare: illa Virtutis eſt, hæc Fortunæ: ſplendet vtraque, & procul emicat; ſed Virtutis aureus ex ſolido ſplendor, Fortunæ ex fragili vitreus. Argutè Mimus:

Fortuna vitrea eſt; cùm ſplendet, frangitur.

& Apollodorus Comicus:

Τὸ πάνυ λαμπρὸν οὐκ ἀκίνδυνον κυρεῖ·
Πρὸς γὰρ τὸ λαμπρὸν ὁ φθόνος βιάζεται,
Σφάλλει δ' ἐκείνους οὓς ἂν ὑψώσῃ τύχη.

Quod valdè ſplendet, periculo non caret:
Illuſtribus enim inſtat inuidia,
Et quos extulerat Fortuna, deſtituit.

Atque hanc ob cauſam (vt ſtatim illud conficiam) dictum à me anteà in deſcriptione Templi Primigeniæ, extructum ex lapide ſpeculari, vtpote pellucenti diuæ; eoque lapide, qui ſolarem lucem quaſi emiſſam à ſe, non ab alio tranſmiſſã redderet, vtpote inani alienorum bonorum oſtentatrici. Quemadmodum enim vitrea Primigenia eſt dum ſplendet, ita falſa dum bonum oſtentat; aut

enim

enim Virtutis sibi opera attribuit, aut Dei. Est ille Fortunatorum error, qui fuit Ethnicorum omnium, vt quidquid diuinæ Prouidentiæ est, suæ adscribant Fortunæ. Vidit hunc errorem, expressit Martianus Capella præclaro commento; *Hæc*, videlicet Fortuna, *mox vt facta conspexit omnia quæ gerebantur in Iouis Consistorio subnotari, ad eorum libros & pugillarem paginam cucurrit, & licentiore quâdam fiduciâ quæ conspexerat inopinatâ descriptione corripuit, vt quædam repentè prorumpentia velut rerum seriem perturbarent: alia verò quæ causarum ratio perspecta vulgauerat, quoniam facere improuisa non poterat, suis tamen operibus arrogabat*. Nebulam tamen istam falsitatis plerique ingenij perspicacitate disiecere, & suum Prouidentiæ ius dignitatemque ex parte tribuerunt. Macrobius lib. 5. *Fortunam Homerus nescire maluit, & soli decreto, quam μοῖραν vocat, omnia regenda committit; adeò vt hoc vocabulum τύχη in nullâ parte Homerici voluminis nominetur. Contrà Virgilius non solùm nouit & meminit, sed omnipotentiam quoque ei tribuit: quam & Philosophi qui nominant, nihil suâ vi posse, sed decreti siue prouidentiæ ministram esse voluerunt*. Benè cetera; hoc Fortunæ ministerium planè fictitium: quare licet ex eo simulatricem ac delusoriam Ethnici Fortunam

dixerint; nobis tamen non inde, ſed ex Virtutis æmulatione, ducitur ſextus Primigeniæ Character, SIMVLATIO.

Septimus Primigeniæ Character, Inuidia.

22. INVIDIA DEIECIT.] Superciliorum deiectio, Inuidiæ olim argumentum habita, Plinio lib. 12. c. 52. ex Trogo Pompeio: *Supercilia quibus porriguntur in rectum, molles ſignificant; quibus iuxta naſum flexa ſunt, auſteros; quibus iuxta tempora inflexa, deriſores; quibus in totum demiſſa, maleuolos & Inuidos*. At Fortunæ intemperantis & nimiùm fortunatæ creberrimum vitium, Inuidia, Plutarchus Conſolat. ad Apollonium: Φίλιππος δ᾽ ὁ τῶν Μακεδόνων βασιλεὺς, τριῶν αὐτῷ προσαγγελθέντων ὑφ᾽ ἕνα καιρὸν, (paucis interiectis) ἀνατείνας εἰς οὐρανὸν τὰς χεῖρας, Ὦ δαῖμον, εἶπε, μέτριόν τι τούτοις ἀντίθες ἐλάττωμα· εἰδὼς ὅτι τοῖς μεγάλοις εὐτυχήμασι φθονεῖν πέφυκεν ἡ τύχη. *Philippus Rex Macedonum, cùm tria eodem tempore fortunatiſſima ipſi nuntiarentur; manus in cælum tendens, Fortuna, inquit, exiguum aliquod his damnum oppone. gnarus magnæ felicitati ſolitam inuidere Fortunam.* Lucanus eodem ſenſu lib. 1.

Inuida

Inuida fatorum series; summisq́ue negatum
Stare diu.——

Et mox:

——*Nec gentibus vllis*
Commodat in populum, pelagi terraq́ue potentem,
Inuidiam Fortuna suam.

Ita de Fortunæ suæ nomine magis quàm numine, luserunt illi nos, qui Fortunam ex Philosophico Christianoque decreto intelligimus esse, non beneficum aliquod numen, sed ipsum Prouidentiæ beneficium, quod in homine ponitur; eò tantùm Inuidiam Fortunæ tribuimus, quòd fortunatis inuicem procliue sit inuidere. Inter miseros enim non intercedit Inuidia. Isidorus Pelusiota Epist. 556. Φθόνος γὰρ ταῖς εὐπραγίαις ἀντιστρατεύεσθαι πέφυκεν. *In bonis euẽtibus certamen est Inuidiæ.* Liuius lib. 8. eleganter ait, *Inuidiam tãquam ignem summa petere.* & lib. 25. *Intacta Inuidiâ media sunt, ad summa fermè tendit.* Cuius rei causa est, quòd ij qui Fortunæ immodici, animi plerumque modici sunt. Imbecillitas autem animi est, inuidere. Liuius pulchrè lib. 35. *Nulla ingenia tam prona ad Inuidiam sunt, quàm eorum qui genus ac Fortunam suam animus non æquant.* Atque ex hoc fortunatorum ingenio existit nobis septimus Primigeniæ Character, INVIDIA.

Octa-

Octauus Primigeniæ Character, Prouidentia & Regimen inane.

23. SINISTRAM EIVS, NAVIGII DE MORE GVBERNACVLVM OCCVPAVIT.] Fuit hoc Fortunæ omnis insigne; nunc vnum, nunc duplex. Ego vnicum hoc loco Primigeniæ tribuo, Reuertenti duplex; cuius caussam posteà dicam. Ceterùm gubernaculum Fortunæ datum notauit Lactantius lib. 3. c. 29. *Fortunam putant esse, quæ hominibus tribuat bona & mala, cùm simulacrum eius cum copia & gubernaculo fingunt.* Isidorus Pelusiota Epist. 153. Πηδάλιον ἔδοσαν ἐν χερσὶν ἔχειν αὐτῇ, καὶ τοῖν ποδοῖν ὑπέθεσαν βάσιν σφαιρικήν. *Gubernaculum ei in manus dederunt, pedibus globum supposuerunt.* Gubernaculo, Imperium eius in humana; Cornucopiæ Prouidentiam significarunt: vt enim Prouidentiam ei adscriptam asseruit Lactantius, ita & Imperium Plato 4. de legibus: Τύχη καὶ καιρὸς τὰ ἀνθρώπινα διακυβερνῶσι ξύμπαντα. *Fortuna & opportunitas omnia regunt.* At cuiusmodi Imperium ei tribuerent, aperuit Artemidorus, cùm de significatione gubernaculi eius sic ait, cap. 42. lib. 2. Ἡ δὲ τὸ πηδάλιον κρατοῦσα κινήσεις περὶ χορηγούς, οὐδεμία γὰρ πηδαλίου

χρεία

χρεία ἄνευ κινήσεως. *Fortuna gubernaculũ regens motus ſignificat, nullus enim gubernaculi vſus ſine motu.* Mobile ergo & leue Fortunæ regimen. Prouidentia qualis daretur, innuit Martianus Capella; qui de Fortunę ſinu idem fingens quod alij de Cornucopię, *Hæc autem*, inquit, *quoniam gremio largiore totius orbis ornamenta portabat, & aliis impertiens repentinis motibus auferebat*: videlicet inanis & fugax eſt illius prouidentia. & ex Mimi dicto,

Leuis eſt Fortuna, citò repoſcit quæ dedit.

vnde eſt octauus Primigeniæ Character, REGIMEN & PROVIDENTIA INANIS.

Nonus Primigeniæ Character, Imbecillitas.

24. CAPITIS VERTICI ROTAM VOLVBILEM.] Cylindrum, globum, aut rotam Fortunæ veteres tribuere, aut pedibus ſubiecta, aut capiti impoſita. Bupalus Smyrnæis Fortunam effinxit, cæleſtem globum capite tollentem: Βούπαλος δὲ ναοὺς οἰκοδομήσασθαι καὶ ζῷα ἀνὴρ ἀγαθὸς πλάσαι, Σμυρναίοις ἄγαλμα ἐργαζόμενος τύχης, πρῶτος ἐποίησεν ὧν ἴσμεν, πόλον τε ἔχουσαν ἐπὶ τῇ κεφαλῇ, καὶ τῇ ἑτέρᾳ χειρὶ τὸ καλούμενον Ἀμαλθείας κέρας. Pauſanias Meſſenicis. *Bupalus verò tem-*

plis

plis extruendis & animalibus effingendis aptissimus , Smyrnæis Fortunæ efformans simulacrum, primus, quod sciam, polum ei in caput imposuit, alterique eius manui cornu Amaltheæ dedit. Ego rotam haud absimili exemplo capiti adstruo. Dextræ Plutum adnecto , Bœotorum exemplo, de quibus Pausanias: Καὶ πλησίον τύχης ἐστὶν ἱερὸν, φέρει μὲν δὴ Πλοῦτον παῖδα. *Haud procul Fortunæ templum est, Plutum infantem gestantis*. Mireris , cur infantem, nisi mox exponeret : Σοφὸν μὲν δὴ καὶ τούτοις τὸ βούλευμα, ἐνθεῖναι Πλοῦτον ἐς τὰς χεῖρας, ἅτε μητρὶ, ἢ τροφῷ , τῇ τύχῃ. *Sapiens autem ipsorum commentum est, Plutum in Fortunæ, quasi illius genitricis, aut nutricis , manum dare*. Fortunam nimirum illam suam diuitiarum genitricem, aut illarum , cùm recentes adhuc à natalibus sunt, nutricem existimarant. quod nescio an ab iis, quę de Primigeniâ Romanâ credebantur, multum abludat: hoc scio, non illud tantùm consequẽs esse, ex hac Bœotorum imagine , Fortunâ parente aut nutrice diuitiis opus esse ; sed illud etiam , diuitias & bona omnia , quæ primo illo Fortunæ enixu generantur , aut lacte eius nutriuntur, puerilis esse teneritudinis & infirmitatis . Oraculum est Senecæ lib. Quare bonis viris, &c. *Non fert vllum ictum illæsa felicitas*. Et mox: *Magis vrgent sæua inexpertos . Graue est teneræ ceruici iugum.*

iugum. Ad suspicionem vulneris tiro pallescit. Quamobrem non immeritò illæsæ huius & malorum inexpertæ Primigeniæ Character nonus est, IMBECILLITAS.

Decimus Primigeniæ Character, Inquietudo.

25. AT VESTIS FLEXVOSI VNDVLATIQVE OPERIS.] Fortunam operuerat Tanaquil Seruij coniux veste regiâ vndulatâ, quâ suis ipsa manibus texuerat. Plinius lib. 8. cap. 48. *Lanam cum colo & fuso Tanaquilis, quæ eadem Caia Cæcilia vocata est, in templo Sangi durasse prodente se* (emendo, *paulò ante se*) *Auctor est M. Varro, factámque ab eâ togam regiam vndulatam in æde Fortunæ, quâ Seruius Tullius fuerat vsus.* Eodem capite: *Seruij Tullij prætextæ, quibus signum Fortunæ ab eo dicatæ coopertum erat, durauere vsque ad Seiani exitum.* Hanc Fortunam eamdem cum Seianâ esse iam coniectatus sum. Sed scrupulum mihi Varro iniicit, qui suâ etiam ætate dubitatum innuit, quænam illa esset Fortuna; fuisseque opinionem aliquorum eam Virginem Fortunam esse: sic enim apud Nonium ex libro de vitâ pop. Rom. *Et à quibusdam dicitur esse Virgi-*

nis

nus Fortunæ ſimulacrum, ab eo quòd duabus vndulatis togis eſt opertum; proinde vt olim Reges noſtri vndulatas & prætextas togas ſoliti ſint habere. Non tamen dimoueor omnino coniecturâ, tum quia pendent verba Varronis, nec ſatis conſequentia ſunt; tum quia alterius ipſe fortaſſe fuit ſententię, quam præcedentibus verbis (vt apparet) expoſitam, Nonius prætermiſit. Vtcumque res habeat, ſeu hæc Seiana Primigenia fuit, ſeu Virgo Fortuna, haud ineptè, opinor, veſtem vndulatam Primigeniæ tribuo, aut propriam, aut à Virgine mutuatam, cùm ipſi veſtis huiuſmodi ſignificatio aptiſſima ſit. vndarum enim hæc ſpecies turbationem & inquietudinem ſignificat, ſi Artemidoro fides ſit; qui ἁλουργίδας, eiuſdem propè modi veſtes, turbationem & pericula protēdere ait, lib. Onirocriticon 2. cap. 3. Ποικίλην δὲ ἐσθῆτα ἔχειν ἢ ἁλουργίδα, ταραχὰς καὶ κινδύνους μόνους ἐπιφέρει, καὶ τὰ κρυπτὰ ἐλέγχει. *Veſtem habere variam & halurgidem, turbas & pericula tantùm portendit, & ſecreta detegit.* At proſperæ nimiùm & ſplendidæ inſita eſt turbatio & inquietudo, etiam cùm infortuniis caret. Præclarè enim Mimus:

Res inquieta eſt in ſeipſam felicitas.

Graphicè depinxit Seneca Epiſt. 44. hanc felicium iactationem: *Cùm omnes beatam vitam optent, inſtrumenta eius pro ipſâ habent; &*

& illam dum petunt, fugiunt. Nam cùm summa beatæ vitæ sit solida tranquillitas, & eius inconcussa fiducia, sollicitudinis colligunt causas, & per insidiosum vitæ iter non tantùm ferunt sarcinas, sed trahunt. Et lib. Quare bonis viris, &c. fortis & felicis labores sic distinguit: *Tam vigilabit hic in plumâ quàm ille in cruce: sed illi est solatium pro honesto dura tolerare, & ad causam à patientiâ respicit; hunc voluptatibus marcidum, & felicitate nimiâ laborantem, magis his quæ patitur vexat causa patiẽdi.* Sit ergo octauus Primigeniæ Character, INQVIETVDO & SOLLICITVDO.

26. MAXIMVM ACCIDIT INFORTVNIVM QVOD NIHIL ACCIDIT INFORTVNII.] Hunc sensum expressit haud dissimiliter Seneca lib. Quare bonis viris, &c. cap. 4. *Miserum te iudico, quòd numquam fuisti miser. transisti sine aduersario vitam.* Et Publius Syrus:

Miserrima Fortuna est quæ inimico caret.

27. SERVII, INQVIVNT, TVLLII, METELLI, SYLLÆ, CRASSI.] Inter fortunatos olim accensiti hi quatuor dispari licet Fortunâ. De Seruio Plutarchus lib. de Fort. Roman. Αὐτὸς ἑαυτὸν εἰς τὴν τύχην ἀνῆπτε, καὶ ἀνεδεῖτο τὴν ἡγεμονίαν ἐξ ἐκείνης. *Ipse se Fortunæ acceptum tulit, & regnum ab ipsâ suum agnouit.* De Metello Plinius lib. 7. cap. 44.

Huius quoque Q. Metelli, qui illa de patre dixerat, filius, inter rara felicitatis humanæ exempla numeratur. De Syllâ Appianus lib. 1. de bello ciuili: *Vir perpetuò iuxta suum cognomen felix, si felicitas dicenda est posse quidquid velis.* De Crasso, nomen ipsum diuitis quod obtinuit, testimonium dicit.

28. FEBREM ETIAM, RVBIGINEM, PESTEM.] Hæc Deorum portenta Roma habuit, dissentientibus, quibus grandior Genius. Plinius quidem sic lib. 2. cap. 7. *Innumeros quidem* (Deos) *credere, atque etiam ex virtutibus vitiísque hominum, vt Pudicitiam, Concordiam, Mentem, Spem, Honorem, Clementiam, Fidem, aut, vt Democrito placuit, duos omnino, Pœnam & Beneficium, maiorem ad socordiam accedit.* Et post pauca: *Itaque nomina alia alijs gentibus, & numina in ijsdem innumerabilia reperimus, inferis quoque in genera descriptis, morbísque, & multis etiam pestibus, dum esse placatas trepido metu cupimus. Ideòque etiam publicè Febri fanum in Palatio dicatum est.* Hos appellabant κακὰς δαίμονας, quòd timor, non amor Deos fecerat. August. de Consensu Euang. cap. 18. *Pallori & Febri fana Romani constituerunt, & cacodæmonas placandos monent ne noceant.*

29. VICTORIAM, HONOREM, VIRTVTEM.] De his, præter Plinium, M. Tul-

M. Tullius lib. 2. de legibus, Vitruuius lib. 7. prologo, P. Victor regione octauâ.

30. DELECTAT MAXIME QVIA PRIMA.] Magnum est momentum ad delectationem in iis quæ primò suscepta, vt multa hoc vno retineantur quòd prima. Seneca de Tranquillitate cap. 2. *Viuunt non quomodo volunt, sed quomodo cæperunt*. Consuetudo huic rei illecebra: de quâ Pythagoricum fuisse pronuntiatum, lib. de sanitate tuendâ meminit Plutarchus: Ἕλου βίον μὲν ἄριστον, ἡδὺν δὲ αὐτὸν ἡ συνήθεια ποιήσει. *Vitam delige optimam, suauem consuetudo faciet.*

31. NIDVLI IN MODVM IMPACTA ITHACA.] Nota est Vlyssis fabula, de cuius Ithacâ Tullius lib. 1. de Oratore: *Cuius rei tanta est vis, ac tanta natura, vt Ithacam illam, in asperrimis saxulis tamquam nidulum affixam, sapiētissimus vir immortalitati anteponeret*. Minùs mirũ si Nausicaæ laquearibus prętulit: dixerit licet de illis Homerus Odyss. *η*.

Ὥστε γὰρ ἠελίου αἴγλη πέλεν ἠὲ σελήνης,
Δῶμα καθ' ὑψερεφὲς μεγαλήτορος Ἀλκινόοιο.
Instar enim Solis splendor erat aut Lunæ,
In domo excelsâ magnanimi Alcinoi.

aut Circes palatiis, de quibus idem Homerus Odyss. *κ*.

Εὗρον δ' ἐν βήσσῃσι τετυγμένα δώματα Κίρκης
Ξεστοῖσι λάεσσι περισκέπτῳ ἐνὶ χώρῳ.

Inuenerunt autem in conualle ædificatas
ædes Circes
Marmoreis lapidibus spectabili in loco.

aut Calypsus Platanone, qui ab Homero descriptus Odyss. ε.

Ὕλη δὲ σπέος ἀμφιπεφύκει τηλεθόωσα,
Κλήθρη τ' αἴγειρός τε καὶ εὐώδης κυπάρισσος.

Sylua autem specum amplexa est virescens,
Platanus & populus & odorata cupressus.

32. LONGE POST PRIMVM EST QVIDQVID EST SECVNDVM.] Eâdem fermè sententiâ de Latino Poëtâ dixit Alcinous:

Longè erit à primo quisquis secundus erit.

Vndecimus Primigeniæ Character,
Supinitas.

33. PRIMIGENIA QVÆ NATIVA FATISCENS MOLLITIE.] Est & istud fortunatorum vitiũ, languere inter bona sua, & affluentem felicitatem non sentire. Nescio an eò respexerit, qui in antiquo marmore apud Smetium, Ianum Gruterum, & Ant. Augustinum, Fortunas expresserat duas obuersis marmoris lateribus, Ducentem & Reducem. Ducentem cum hoc titulo,

SAL-

SALVOS IRE. Reducem cum hoc titulo, SALVOS REDIRE. Tam contrario tamen positu, vt cùm Redux sederet, Ducẽs abiecto Cornucopiæ, totâ axillæ suppositâ terræ effusa iaceret. Hanc certè nimiæ felicitatis supinitatem notauerat Seneca lib. Quare bonis viris, cap. 2. *Languent per inertiam saginata, nec labore tantùm sed mole, & ipso sui onere deficiunt*. Et cap. 4. *Illos meritò quis miseros dixerit, qui nimiâ felicitate torpescunt, quos velut in mari lento tranquillitas iners detinet*. Ita Artaxerxes ille apud Maximum Tyriũ Sermone 35. fertur τέως μὲν ὑφ' ἡδονῆς μακρᾶς καὶ εἰρήνης διηνεκοῦς μὴ συνιέναι τῆς εὐτυχίας: *ex longâ voluptate & continenti pace non antè felicitatis sensum habuisse*, quàm ἠγάπησε παρὰ ἀνδρὸς Μάρδου λαβὼν ἐν ἀσκῷ ὕδωρ ὀδωδός. καὶ τότε ἄρα ὁ δείλαιος ἔγνω, τίς μὲν ἡδονῆς χρεία, τίς δὲ ἡδονὴ ποτοῦ: *pro magno haberet ab homine Mardo putentem in vtre aquam sumere. tunc demum nouit infelix, quis voluptatis vsus, & quæ in potu suauitas esset*. Præclarè Græca sententia:

Ῥέγχει παρούσης τῆς τύχης τὰ πράγματα.
Stertunt præsente Fortunâ negotia.

Ex quibus est nouus Primigeniæ Character, SVPINITAS & STVPIDITAS.

34. PARVVLOS EVENTVS.] Boni euentus & Bonæ Fortunæ simulacra simul in Ca-

pitolio dicata teſtatur Plinius lib. 36. cap. 5. & lib. 34. cap. 8. ſimulacri meminit Boni euentus, dextrâ pateram, ſiniſtrâ ſpicam ac papauer tenentis.

35. NILO FLVMINI SVOS ALLVDERE LIBEROS.] Ita Nilum Ægyptij repræſentare ſoliti. Cauſam habet Plinius lib. 36. cap. 7. de Baſalte ſic agens: *Numquam hic maior repertus, quàm in templo Pacis ab Imperatore Veſpaſiano Auguſto dedicatus; argumento Nili ſexdecim liberis circà ludentibus, per quos totidem cubiti ſummi incrementi augentis ſe amnis intelliguntur.*

TEMPLVM FORTVNÆ REVERTENTIS.

36. DE EXQVILINA SVA ÆDE.] Reuertentis ſeu ἐπιστρεφομένης Fortunæ ædem quo loco extruxiſſet Seruius Tullius, explicauerat Plutarchus lib. de Fortun. Roman. ſi manſiſſet incorruptus: nunc Apolline opus eſt, vt intelligatur illud ἐν Ἀβεσκύμαις ἐπιστρεφομένης. quo factum eſt, vt plerique interpretum aut locum omnino prætermittant, aut ex peruerſâ voce Græcâ Ἀβεσκύμαις peruerſiorem Latinam faciant *Abeſcymis*; cùm neu-

tri

tri tamen intelligant quis ille locus, aut quæ regio ſit Abeſcymæ. Gallus interpres, vt aliis pleriſque locis, ita in iſto rem acu tetigiſſe mihi viſus eſt; ſeu ex ſuâ coniecturâ, ſeu ex libris legerit, *in Exquiliis*. Sic enim, ex eius interpretatione, legendus eſt locus totus: Παρὰ δὲ τὴν Μουσκώσαν καλουμένην κρήνην ἔτι παρθένου τύχης ἱερόν ἐστιν, ἐν δὲ Ἠσκυλίαις ἐπιστρεφομένης. *Ad fontem, qui Muſcoſus dicitur, eſt etiam Virginis Fortunæ ædes; in Exquiliis autem, Reuertentis.* Quæ lectio mihi videtur non improba, maximè cùm ex Martiale videatur colligi, Templum Reducis Fortunæ in Exquiliis fuiſſe: ſic enim lib. 8.

Hîc vbi Fortunæ Reducis fulgentia latè
Templa nitent, felix area nuper erat.

Felix enim illa area domus aureæ fuit, quæ ab Exquiliis ad Palatium producta aream in ipſis Exquiliis habuit. Acceditque eò, quòd Sextus Rufus Templum Fortunæ Reducis in aditu Altæ Semitæ, ſeu regionis ſextæ, collocat, quæ ab Exquiliis initium duxit. Hanc coniecturam ego hoc loco ſum ſecutus, quòd nihil nunc certiùs liqueret.

37. FILII TRES CONSVLARES.] De illis Plinius lib. 7. cap. 44. *Nam præter honores ampliſſimos, cognomenq́; è Macedoniâ, quatuor filiis illatus rogo, vno Prætorio, tribus Conſularibus, duobus Triumphalibus, vno*

 Cenſo-

Censorio : quæ singula quoque paucis contigere.

38. ATTILIVM REGVLVM.] Seneca, lib. Quare bonis viris,&c. *Veniamus ad Regulum. Quid illi Fortuna nocuit, quòd illum documentum fidei, documentum patientiæ fecit? Figunt autem claui, & quocumque fatigatum corpus reclinauit, vulneri incumbit. Vis scire, quàm non pœniteat hoc pretio æstimasse virtutem? Refice tu illum, remitte in Senatum; eamdem sententiam dicet.*

IMAGO
FORTVNÆ
REVERTENTIS.

39 QVIDQVID IN GNIDIÆ SVÆ COMA.] Gnidiam Venerem Praxiteli adscribit Plinius lib. 36. cap. 5. *Sed ante omnia est, non solùm Praxitelis, verùm & in toto orbe terrarum, Venus; quam vt viderent, multi nauigarunt Gnidum.* Appellatur Gnidia ab aliis. Gnidiis dicebatur εὔπλοια, ex Pausaniâ Atticis. Excelluit in eâ comæ oculorumque conformatio, si quæ Luciano fides in Imaginibus. Comas enim & oculos venustissimè expressos inuestigans, ex Gnidiâ sumit: Τὰ

μὲν

μὲν ἀμφὶ τὴν κόμην, καὶ μέτωπον, ὀφρύων τε τὸ εὔγραμμον, ἐάσεις ἔχειν ὥσπερ ὁ Πραξιτέλης ἐποίησε. καὶ τῶν ὀφθαλμῶν δὲ τὸ ὑγρὸν, ἅμα τῷ φαιδρῷ καὶ κεχαρισμένῳ, καὶ τοῦτο διαφυλάξει κατὰ τῷ Πραξιτέλει δοκοῦν. *Quod ad comam & frontem attinet, ac superciliorum ductum, sines habere vt Praxiteles effinxit. Oculorum autem agilitatem hilaritate & gratiâ plenam seruabit, vt Praxiteli visum est.* Tribuitur & totius faciei egregia expressaque species Lemniæ Phidiæ ibidem: Τὴν δὲ τοῦ παντὸς προσώπου περιγραφὴν, καὶ παρειῶν τὸ ἁπαλὸν, καὶ ῥῖνα σύμμετρον ἡ Λημνία παρέξει. *Totius oris delineationem, & genarum teneritudinem, & nasum elegantem Lemnia tribuet.* Indidem est Amazonis species oris & ceruicis: Στόματος ἁρμογὴν καὶ αὐχένα παρὰ τῆς Ἀμάζονος λαβών. *Oris compositionem & ceruicem ab Amazone sumens.* Adscribitur ab eodem Veneri Alcamenis, quæ dicebatur ἐν κήποις, χειρῶν ἄκρα καὶ καρπῶν τὸ εὔρυθμον, καὶ δακτύλων τὸ εὐάγωγόν, *argutia manuum, capillorum concinnitas, & digitorum mollis flexus.* At Sosandræ, quæ Calamis opus fuit, datur eodem loco εὐσταλὲς καὶ κόσμιον τῆς ἀναβολῆς, *ornatus promissúsque vestitus.*

40. NAM QVOD COMAM ALIQVIS PRÆDICET.] Singulas etiam harum Dearum tabellas his maximè partibus præstitisse Lucianus eodem loco affirmauit.

Iunonem quidem Euphranoris, insignem habuisse comam: Cassandram Polignoti, ὀφρύων ἐπιπρεπὲς καὶ παρειῶν ἐνερευθὲς, *superciliorum decentiam & malarum ruborem*. Penelopem Zeuxis Plinius lib. 36. cap. 10. pulcherrimam memorat. Ductus autẽ ille superciliorum ad genas vsque, & prope oculos confusio, decori olim fuit, vt est in Petron. Satyrico. Pacatam Apellis Lucianus describit ibidem, μὴ ἄγαν λευκὴν, ἀλλὰ ἐναίμων ἁπλῶς, *non nimis albam, sed rubentem temperatè*. Roxanem Ætion pinxit nuptias cum Alexandro contrahentem, teste Luciano in Herodoto: fuitq; illo æuo decorum pellucidâ & ventis permissâ veste exornari. Idem Lucianus in Imaginibus: Ἐσθῆτα δὲ ἐς τὸ λεπτότατον ἐξειργασμένην, ὡς συνεστάλθαι μὲν ὅσα χρὴ, διηνεμῶσθαι δὲ τὰ πολλά. *Vestem verò quam tenuissimè elaboratam, vt quæ par est, corpori applicet; multa autem vento permittat.*

41. FRVSTRA MIRARIS INANIS GRÆCIA.] Hæc aliaque id genus in Dearum mortaliumque speciem Poëtæ transtulerunt. Aurum in comas Galateæ, Philoxenus in Athenæo lib. 13. Ὦ καλλιπρόσωπε χρυσοβόστρυχε Γαλάτεια. *O pulchra vultu & aureo cincinno Galatea*. Violas in palpebras Veneris, Poëta quidam non nominatus à Luciano in Apologiâ Imaginum: Ἕτερος δέ τις ἰοβλέφαρον

φαεσὸν τὴν Ἀφροδίτην ἔφη. *Alius quidam Venerem violaceis ait palpebris.* Ignem in pupillas Palladis, Homerus, cùm eam passim nominat γλαυκῶπιν; quod Hesychio est λαμπρόφθαλμος, seu, πυρίγλην☉, *lucidis oculis, & igneis pupillis.* Cæsius enim in oculis color igneam eorum habitudinem designat. Aristoteles 5. de Generat animal. cap. 1. Τὰ μὲν γλαυκὰ πυρώδη, καθάπερ Ἐμπεδοκλῆς φησί. Argentum in pedes Thetidis, Homerus Hymno in Apollinem:

Ἀλλὰ ἑ Νηρῆος θυγάτηρ Θέτις ἀργυρόπεζα.
Sed illam Nerei filia Thetis argēteis pedibus.

Ostrum in genas virginis, Oeneus Poëta apud Athenæum lib. 13. Λάμπει δ' ἐπὶ πορφυρέαις παρῇσι φῶς ἔρωτος. *Emicat in purpureis genis flamma amoris.* Rosas in digitos Auroræ, Homer. passim Odyss. τ.

Ἦμος δ' ἠριγένεια φάνη ῥοδοδάκτυλ☉ ἠώς.
Cùm autem manè genita Aurora roseis digitis apparuit.

Ad istorum fermè exemplum Leucippem Achilles Tatius describit lib. 1. Τὸ γὰρ τοῦ σώματος κάλλος αὐτῆς πρὸς τὰ τοῦ λειμῶνος ἤριζεν ἄνθη, ναρκίσσου μὲν τὸ πρόσωπον ἔστιλβε χροιάν, ῥόδον δὲ ἀνέτελλεν ἐκ τῆς παρειᾶς, ἴον δὲ ἧττον ἐμάρμαιρεν αὐγῇ, αἱ δὲ κόμαι βοστρυχούμεναι μᾶλλον ἑλίσσοντο κιττοῦ. *Pulchritudo enim corporis eius certabat cum prati floribus, in fronte micabat*

bat narcissus, rosa in genis fulgebat, oculi violam extinguebant, comarum cirri hederis erant implicatiores.

42. COMARVM EI STRVCTVRAM ESSE, &c.] Magnam olim laudem merita est modestiæ ASPASIA apud Ælianum, lib. 12. variæ Histor. cap. 1. quòd ad ingenitam sibi pulchritudinem nihil pateretur attexi, non pigmentum, non vestitum, non comptum splendidiorem.

Prudentiæ, LIVIA apud Dionem in Tiberio, cùm *ἀκριβῶς σωφρονοῦσα καὶ πάντα τὰ δοκοῦντα αὐτῷ ἡδέως ποιοῦσα* dicitur, *valdè prudens & quæ viderentur Augusto lubenter faciens.* Caligula hoc spectabat, cùm illam Vlyssem stolatum diceret apud Sueton. cap. 23. Extatque luculentum prudentiæ illius argumentum in sermone eius ad Augustum de insidiis euitandis apud Dionem in August. & Senecam lib. 1. de Clementiâ.

Nec dispar fuit laus maiestatis & grauitatis in SVLPITIA, de quâ Plinius lib. 7. cap. 35. & Liuius lib. 39. Hispalam malè nominatam mulierem eius conspectu perturbatam memorat, *cùm ad tam grauem & nobilem feminam accersita esset.*

At CORNELIÆ Gracchorum matris nobilitata est patientia à Senecâ Consolatione ad Marciam; sed Cõsolatione ad Heluiam inpri-

inprimis; ait enim: *Si numerare funera Corneliæ velles, amiserat decem; si æstimare, amiserat Gracchos: fletibus tamen circa se, & fatum eius execrantibus, interdixit ne Fortunam accusarent, quæ sibi filios Gracchos dedisset*. Plutarchus in Gracchis: Καὶ ἡ Κορνηλία λέγεται τά τε ἄλλα τῆς συμφορᾶς εὐγενῶς καὶ μεγαλοψύχως ἐνεγκεῖν, καὶ περὶ τῶν ἱερῶν, ἐν οἷς ἀνῃρέθησαν, εἰπεῖν ὡς ἀξίους οἱ νεκροὶ τάφους ἔχουσιν. *Cornelia tum calamitatem reliquam generosè & fortiter tulisse dicitur, tum de templis, in quibus ceciderant, dixisse, digna eos sepulchra sortitos*.

LVCRETIÆ verecundia hoc fuit nobilissima, quòd & in coacto scelere non turpis, & in voluntariâ pœnâ virilis. Augustin. de Ciuitate lib. 1. cap. 19. *Puduit eam turpitudinis alienæ in se commissæ, etiamsi non secum. Et sociam facti se credi erubuit, si quod alius in eâ fecerat turpiter, ipsa ferret patienter*. Ouidius 2. Fastorum de Lucretiâ:

Illa diu reticet, pudibundaq; celat amictu
Ora.

Et mox:

Quæq; potest, narrat: restabãt vltima; fleuit,
Et matronales erubuêre genæ.

Eiusdẽ gloriȩ fuit PORCIÆ, Catonis filiȩ, notum robur, quæ Bruto coniuge cæso ardentes ore carbones hausit, *muliebri spiritu virilem patris exitum imitata*, vt ait Valerius lib. 4. c. 6.

Iam

Iam TANAQVILIS diligentia clara in posteritatis memoriam fuit, colo eius & lanâ in Sanci templo dedicatis. Cuius rei caussam Plutarchus Quæst. Rom. 30. ita extulit: Διὰ Καΐαν Κεκιλίαν καλὴν καὶ ἀγαθὴν γυναῖκα τῶν Ταρκυνίου παίδων ἑνὶ συνοικήσασαν, ἧς ἐν τῷ τοῦ Σάγκου ἱερῷ χαλκοῦς ἀνδριὰς ἕστηκεν· ἔκειτο δὲ πάλαι καὶ σανδάλια, καὶ ἄτρακτοι, τὸ μὲν οἰκουρίας αὐτῆς, τὸ δὲ ἐνεργείας σύμβολον. *Propter Caiam Ceciliam pulchram probámque feminam, vnius è Tarquinij filiis coniugem, cuius ærea statua in templo Sanci erecta: erántque olim etiam sandalia & colus, illa quidem domectica custodiæ, ista diligentiæ argumentum.* Hanc porrò Caiam Ceciliam licet Plutarchus vnius è filijs Tarquinij coniugem dicat, Plinius tamen haud paulò verisimiliùs eamdem esse cum Tanaquile asserit lib. 8. cap. 48. *Lanam & colum Tanaquilis, quæ eadem Caia Cecilia dicta est, in Templo Sanci durasse, prodente se, auctor est Marcus Varro.*

PLOTINÆ denique frugalitas in summâ Fortunâ, præclarè est à Plinio commendata in Panegyrico ad Traianum eius coniugem: *Quàm modica cultu? quàm parca comitatu? quàm ciuilis incessu? mariti hoc opus; qui ita imbuit, ita instituit. Nam vxori sufficit obsequij gloria.*

Primus Reuertentis Fortunæ Character,

Dignitas.

43. INTEGRI ÆVI MATRONÆ.] Iam inde exequor Fortunę Reuertētis Characteres, tum ex historiâ, tum ex eorum ductos moribus, qui pristinę restituuntur Fortunæ. Ac principio matronalis ei species à me tribuitur, non eo solùm, quòd Reducem Fortunam hac specie nummi veteres repræsentẽt apud Adolphum Occonem & Ant. August. sed multo magis, quòd dignitatis grauitatisq. nomen sit matrona. Plinius libro 5. Epist. 16. *Nondum annos quatuordecim impleuerat, & iam illi anilis prudentia, & matronalis grauitas erat.* Cedrenus: Ῥωμαῖοι τὰς σώφρονας γυναῖκας ματρῶνας ἐκάλουν. *Romani graues mulieres matronas appellant.* Nimirum quia σωφροσύνη, seu grauitas ac decus, muliebris virtutis Character est, vt est in Heliodoro lib. 4. Μέμνησο τῆς εὐγενείας, τιμῶσα σωφροσύνην, ἣ δὴ μόνη γυναικείαν ἀρετὴν χαρακτηρίζει. *Memento nobilitatis, decori studens, qui vnus est muliebris virtutis Character.* At Fortunæ, quæ restituitur, longè maior dignitas est & splendor, quàm si numquam elapsa esset. Nec aurum

rum ſplendet, niſi attritum, nec Fortuna clara eſt, niſi per labores & calamitates. Deme Herculi feras, hoſtes, exilia; ἠκρωτηρίασας, ait Maximus Tyrius, τὴν ἀρετὴν τοῦ Ἡρακλέους, *truncaris Herculis virtutem*. Careat Vlyſſes periculis, careat Achilles Hectore; carebunt eâdem operâ gloriâ, quam eis aduerſarius hoc ipſo comparat, quia tollere contendit. Premit infortunium, ſed vires numquam opprimit: quo atrociùs incubuerit, eo te attollet altiùs. Nihil perit viuaci fonti, quòd per humilia depreſſaque deriuatur; reſiliet aliquando, & caput ſuum, cùm per ima diu repſerit, tandem æquabit. Non coronatur, qui ſolus decurrit, καὶ Ὀλυμπιάσι μὲν, ſubdit Maximus, καὶ Πυθοῖ οὐκ ἔνεστι κότινον λαβεῖν, οὐδὲ μήλων τυχεῖν, αὐτὸν ἐφ᾽ ἑαυτοῦ κινησάμενον· ἀλλὰ ἀνταγωνιστῶν δεῖ τῷ κηρύγματι: *& Olympijs ac Pythijs nec oleaſtro nec lauro coronatur, qui ſolus in puluerem deſcenderit: neceſſe eſt nominetur in præconio aduerſarius*. Aduerſarius in vitâ, calamitas eſt; cum eâ te compoſuit Deus, vt in præconium venias. Sapienter Epictetus apud Arrianum lib. 1. cap. 24. Ὅταν ἐμπέσῃ περίστασις, μέμνησο ὅτι σὲ Θεὸς ὡς ἀλείπτης τραχεῖ νεανίσκῳ βέβληκεν. ἵνα τί φησιν; ἵνα ὀλυμπιονίκης γένῃ. *Cùm calamitas inciderit, memento Deum vt aliptem te cum agreſti adoleſcente commiſiſſe. quorſum inquit? vt olym-*

olympionica ſis. Minus dixit Græcus Piſidas:

> Ἐν τῷ περισπᾶσθαί τε καὶ βρίθειν κάτω,
> Ὡς οἱ νοσοῦντες εἰς ἀνάκτησιν τρέχων
> Τὸ πρῶτον εἶδος ἀντιμορφώσω πάλιν.
> *Dum diuexor & deprimor,*
> *Aegri in morem in reſtitutionem feſtinans*
> *Decorem denuò reformabor in priſtinum.*

Priſtinum autem? imò in maiorem. Putas, hoc in agone agitur (in quo, ait Tertullianus Scorpiaco, *pugni quaſſant, calces arietant, cæſtus dilaniant, flagella dilacerant*) vt quod priùs erat obtineatur, ac non potiùs quærat Athleta, vt idem ſubdit, *coronas, gloriam & dotem, priuilegia publica, ſtipendia ciuica, imagines, ſtatuas, & qualem poteſt præſtare ſæculum de famâ æternitatem, de memoriâ reſurrectionem.* Propter hæc videlicet, *Pyctes ipſe non queritur, dolere ſe non vult; corona premit vulnera, palma ſanguinem obſcurat; quòd plus victoriarum eſt, quàm iniuriarum.* Denique non fallitur Euripides apud Stobæum ἐπαίνῳ τόλμης:

> Οὐδεὶς γὰρ ὢν ῥᾴθυμος εὐκλεὴς ἀνήρ,
> Ἀλλ' οἱ πόνοι τίκτουσι τὴν εὐδοξίαν.
> *Nemo enim ignauus clarus,*
> *Sed labores pariunt celebritatem.*

Seneca ad hanc ſententiam lib. Quare bonis viris: *Scit illum ſine gloriâ vinci, qui ſine periculo vincitur.* Et Ageſilaus, apud Xenophon-

I tem,

tem, δόξης ουδεμίας ἤρα ἧς ουκ ἐξεπονεῖτο, *gloriam nullam optauit nisi ex labore ortam*. Ex quo est figmentum non illepidum Euripidis in Heraclidis, Eucleam esse Poni seu Laboris sobolem:

Πόνος γὰρ, ὡς λέγουσιν, Εὐκλείας πατήρ.

Meritò proinde nostræ huius, quæ ex laboribus & conflictatione existit, Fortunæ Reuertentis, Character primus est DIGNITAS & GLORIA.

Secundus Reuertentis Character, Modestia.

44 IN MODESTAM CALANTICAM.] Vt capillus solutus, Intemperantiæ atque Immodestiæ fuit argumentum; ita collectus, Modestiæ. Improbam mulierem describit Lucianus in Ἔρωσιν, cui σοβαροὶ ἀγροὶ τῶν μεταφρένων οἱ ὄπισθεν ἐπισαλεύονται πλόκαμοι, *insolenter à tergo vsque ad scapulas crines iactantur*. Eiusdem coloris illa apud Arbitrum, cui *crines ingenio suo flexi per totos se humeros effuderant*. Probam autem & modestam intelligit Tertullianus lib. de velandis virginib. cap. 7. *Si autem & naturæ præiudicium adiicit Apostolus, quòd honor sit mulieris redundantia capillorum, quia coma pro operimento*

mento est; vtique hoc maximè virginibus insigne est, quarum & ornatus ipse propriè sic est, vt concumulata in verticem, ipsam capitis arcem ambitu crinium contegat. Et non multo posteà cùm de mulieribus Arabiæ, non modò caput, sed faciem etiam totam obuelantibus, dixisset; *Et Ethnicæ quidem*, inquit, *disciplinæ meracior & (vt ita dixerim) barbarior modestia: nobis Dominus etiam reuelationibus velaminis spatia metatus est.* Quo minùs mirum est, si Publius Clodius, matronalem modestiam mentitus, calanticam quasi colligendis crinibus capiti adstruxisse dicatur à Marco Tullio apud Nonium: *Túne, cùm vincirentur pedes fasciis, cùm calanticam capiti accommodares?* Ideoque æditua Apollinis comam (ait Heliodorus lib. 3.) τὴν δὲ ἀπὸ κορυφῆς καὶ ἀπὸ μετώπου, δαφνῆς ἁπαλοὶ κλῶνες ἔστεφον, ῥοδοειδῆ τε καὶ ἡλιῶσαν διαδέοντες, καὶ σοβεῖν ταῖς αὔραις ἔξω τοῦ πρέποντος οὐκ ἐφιέντες: *quæ à vertice & à fronte erat, rosis & soli similem laureæ coronabant, nec sinebant auris indecorè iactari.* Iam verò innata quodammodò atque insita est Fortunæ, quæ per aspera & calamitosa eluctatur, modestia. Nec aliam ob causam bonis viris fortunam eiusmodi Deus plerumque immittit, nisi quia eorum modestiam hac quasi disciplinâ procurat. Vidit hoc Seneca lib. Quare

bonis viris : *Cùm videris bonos viros acceptósq; Dijs laborare, ſudare, per arduum aſcendere, malos autem laſciuire & voluptatibus fluere; cogita filiorum nos modeſtiâ delectari, vernularum licentiâ.* Bellè proinde modeſtiam, ſeu morum moderationem, quàm μετριοπάθειαν appellat Plutarchus, ἔχυρον ἀνεξικακίας eſſe dixit libro De amore fraterno. Prudentius accommodatè in Pſychomachiâ de Patientiâ Reuertentis parente:

Ecce modeſta graui ſtabat Patientia vultu,
Per medias immota acies, varioſq; tumultus.

Et Lucianus ingenioſè libro Imaginum, quàm ſit Fortunæ redeunti neceſſaria modeſtia, deſignatum ait à Poëtis, cùm fingerent Dædalum in patriam è carcere reuolantem ſummis fluctibus, alis remigaſſe, eaſque ſubinde aquâ inſperſiſſe, ne ardenti ſole diffluerent. Sic enim eorum qui poſtliminiò redeunt, ſi qui in fortunâ renidente ἠγάπησαν ὑψηλότεροι μόνον τῶν κυμάτων ἐνεχθέντες, ὥστε μέχρι νοτίζεσθαι αὐτοῖς ἀεὶ τὰ πτερὰ, καὶ μὴ παρέχειν αὐτὰ τῷ ἡλίῳ μόνῳ, οὗτοι δὲ ἂν ἀσφαλῶς τε ἅμα καὶ σωφρόνως διέπτησαν: *amant eatenus tantùm ſupra fluctus ferri, vt liceat ſemper pennas humefacere, nec ſoli eas diſſoluendas dare, illi demùm ſecurè & modeſtè volant.* Eam, opinor, ob rem Redux Fortuna non temerè in antiquis nummis conſpici-

ſpicitur, niſi crinibus plexis,& capiti circumſtructis. Quo aptior eſt Fortunæ Reuertentis Character ſecundus, MODESTIA.

Tertius Reuertentis Character, Prudentia.

45. FRONTE QVALIS PROVIDÆ ET COGITABVNDÆ.] Frontis contractio, cogitationis ſollicitæ, ac prouidæ mentis eſt argumentum. Eò enim ſpectat, quod Horatius de Ofello conſtantis animi viro, quem integris opibus norat non latiùs vſum, quàm mox acciſis, ſic ait lib. 2. Satyrâ 2.

Explicuit vino contractæ ſeria frontis.

Et Ariſtoteles Phyſiogn. Οἱ μικρότερον ἐπίπεδον ἔχοντες (ſcilicet μέτωπον) αἰσθητικοὶ ἀναφέρονται ἐπὶ τοὺς κύνας. *Qui fronte ſunt minùs apertâ, ſagaces, & ad canes referuntur.* Illud autem in confeſſo eſt, nullam eſſe ſagacitatis Prudentiæque magiſtram aptiorem eâ Fortunâ, quæ calamitatibus eminet. Darius Xerxis pater apud Stobæum, περὶ ἀνδρείας, ſapienter ἔλεγεν ἐν ταῖς μάχαις καὶ περὶ τὰ δεινὰ γίγνεσθαι φρονιμώτερος, *dixit certaminibus & periculis fieri ſe prudentiorem.* Vt enim ſal guſtum, acetum viſum acuit quia pungit; ita calamitas animum. Aureum eſt Nazianzeni dictum

 Oratio-

Oratione 23. Γενναιότερον ἐκ τοῦ παθεῖν τὸ φιλόσοφον, ὥσπερ ψυχρῷ σίδηρος, οὕτω τοῖς κινδύνοις στομούμενον. *Nobilior est ex patientiâ Philosophia, quæ vt ferrum frigidâ, sic periculis acuitur.* Romulus nescio quis apud Stobæum de Fortunâ & infortunio ἔφη, τὰ παθήματα τοῖς ἀνθρώποις μαθήματα εἶναι περὶ τὸν βίον. *Quæ homini nocent, vitam docent.* Itaque non de nihilo est, quòd vt ex infortunio existit illicò & generatur Prudētia, Hesiodo in Theogoniâ;

Αὐτὰρ ὁ δεξάμενος ὅτε δὴ κακὸν εἶχ', ἐνόησεν:

Illicet accepit infortunium, statimq; sapuit:

ita ex Prudentiâ propagatur extemplò Fortuna, quæ eo nomine ab Alcmane Poëtâ Προμηθείας θυγάτηρ, *Prudentiæ soboles* credita est, apud Plutarchum de Fortunâ Romanorum. Ex quo mihi expressus est tertius Reuertentis Fortunæ Character, PRVDENTIA.

Quartus Reuertentis Character, Æquabilitas.

46. SVPERCILIIS NEC SVPERBIA ERECTIS, NEC HVMILITATE DEIECTIS.] Vt supercilia cum animo demittuntur, ita cum eo eriguntur. Deiecti animi signum est M. Tullio libro 2. de Offic. superciliorum remissio; elati ac superbi, eorumdem

rumdem erectio, Plinio lib. 11. cap. 37. *Supercilia homini & pariter & alternè mobilia, & in iis pars animi. Negamus, annuimus. Hæc maximè indicant fastum. Superbia aliubi conceptaculum, sed hîc sedem habet: in corde nascitur, huc subit, hîc pendet; nihil altius simul abruptiúsq. inuenit in corpore, vbi solitaria esset.* At eorum æqualitas, quod consequens est, æquanimitatis est argumentum: quod spectauit Tertullianus, cùm patientiæ, æquanimitatis (vt ait) parenti, tribuit *remissa æquè in lætum modum supercilia.* Ac supercilia quidem subrigere, dum Fortunâ tantùm suam; deiicere, dum suâ commodiorem alienam contemplantur, ingenitum est Fortunæ pullis. Pisidas de vanitate vitæ:

Κολάζεται γὰρ τύφος ὀφρυούμενος,
Ἀντοφρυωθεὶς τῇ θέᾳ τοῦ μείζονος.
Nam plectitur fastus superciliosus,
Deiectus spectaculo præstantioris.

Qui autem infortunia aliquando degustarunt, quasi paribus boni malique momentis librati, nec suâ tolluntur fortunâ, nec alienâ deprimuntur; tam insolentiæ expertes malorum experiētiâ, quàm inuidiæ bonorum vsu. Iidem nec afflante Fortunâ præfidunt, nec reflante desperant; Theoctisto auscultantes: Ναῦν δ' ἐξ ἑνὸς ἀγκυρίου, καὶ ἐκ μίας ἐλπίδος πρὸς τὸν λιμένα ἀπαθείας οὐ καθορμίζομεν. *Nauem*

vnâ anchorâ, nos ipſos vnicâ ſpe, in portũ æquabilitatis non ſtabilimus. Nempe ad æquabilem morum compoſitionem & tranquillitatem, in bonâ Fortunâ malam, in malâ bonam ſperare addecet. Alioquin enim fit, quod Piſidas ait elegantiſſimè:

Κλέπτουσι γάρ που καὶ τοὺς φίλους αἱ τύχαι,
Εἰ μή τις αὐταῖς σωφρονῶν ἀντεμβάλοι
Τὸ γνωστικὸν φρόνημα τῆς συμμετρίας,
Ὡς μήτε χαύνως μήτε μὴν ὑφειμένως
Κινῶν τὰ νεῦρα τῶν ἐν ἡμῖν ὀργάνων,
Λύσῃ τὸν ἁρμόζοντα τῆς ψυχῆς τόνον,
Μηδ' αὖ βιαίᾳ καὶ βαρείᾳ συντάσῃ
Φύρῃ τὰ κοινὰ ταῦτα τοῦ βίου βέλη,
Ἴσῳ δὲ ῥυθμῷ συμβιβάζει τὴν λύραν.
Suffurantur etiam quos amant fortunæ,
Niſi quis ipſi cautè opponat
Sapientem & prudentem æquabilitatem,
Ne molliter & lentè
Neruos organorum tangens
Remittat aptum mentis concentum,
Nec graui & validâ intentione
Corrumpat communia hæc vitæ tela,
Sed æquabili ſono lyram attemperet.

Ideoque appoſitum admodum eſt, quod Alcman apud Plutarchum Fortunæ ſorores tribuit Ἰσονομίαν καὶ Πειθώ, *Aequalitatem & Suadelam*. Æqualitatem, quę in bono & malo æquè animum diſponat: Suadelam, quæ facili-

cilitatem ſequendi fata decretaque diuina ingeneret, ſeu per amœna, ſeu per aſpera ducere velint. Verè enim Philoſophus Latinus:

Fata volentem ducunt, nolentem trahunt.

Et Palladas Epigrammatum lib. 1. titulo In humanam vitam:

Εἰ τὸ φέρον σὲ φέρει, φέρε καὶ φέρου· εἰ δ᾽ ἀγανακτεῖς,
Καὶ σαυτὸν λυπεῖς, καὶ τὸ φέρον σὲ φέρει.

Si te fata ferunt, ferto, & ſequere: ſi autem angeris,
Te ipſum crucias, & fata tamē te ferent.

Sapienter proinde Euripides Antigone:

Πλεῖ κατὰ πορθμὸν, πλεῖ κατὰ δαίμονα.

Nauiga ſecundùm flumen, nauiga ſecundùm fortunam.

Hanc æquabilitatem & facilitatem fruſtrà in Primigeniâ, & mali experte Fortunâ, quæſieris: in Reuertente frequentiſſima eſt. Vnde mihi quartus Reuertentis Character, ÆQVABILITAS.

Quintus Reuertentis Character, Magnanimitas.

47. OCVLIS NON MOROSITATE, SED MAGNANIMITATE DEFIXIS.] Animus in oculis habitat: anguſtus & puſillus, in oculis nutantibus & erraticis;

in defixis & immotis, aut stupidus & morosus, aut magnus. Pusillanimitatis quidem signum esse crebrum oculorũ motum & conniuentiam, dixit Aristoteles in Physiognomicis; inter alia δειλοῦ σημεῖα recensens ὄμματα ἀσθενῆ καὶ σκαρδαμύττοντα, *oculos imbecilles & mobiles.* Σκαρδαμύττοντα τῶν ὀμμάτων, τὰ μὲν δειλὸν, τὰ δὲ θερμὸν σημαίνει. *Ex oculis facilè cõniuentibus alij timiditatẽ, alij calorem indicãt.* Subscribit Plinius lib. 2. cap. 37. *Plerisque verò naturale, vt nutare non cessent, quos pauidiores accepimus.* Ac stupiditatis seu morositatis, iuxtà & magnanimitatis, argumentum est oculus defixus & immotus. Animi fuit dolore stupidi, quòd Agrippina functo Germanico Romã rediens, vt est in Tacito Annal. lib. 3. *duobus cum liberis feralẽ vrnam tenens, egressa naui, oculos defixit.* Et in Heliodoro, lib. 10. Hydaspes τὸ ὄμμα οἱονεὶ κέρας ἢ σίδηρον εἰς τὰ ὁρώμενα τείνας εἱστήκει, πρὸς τὰς ὠδῖνας τῶν δακρύων ἀπομαχόμενος: *oculos tamquam cornu, aut ferrum, in ea quæ cernebantur defixit, contra lachrymas decertans.* Magnanimitatis autem, quòd Æneas Didonis blanditiis impugnatus 4. Æneid.

—— immota tenebat

Lumina, & obnixus curã sub corde premebat.

Id quidem probat Plinius lib. 2. cap. 37. *Viginti gladiatorum paria in Caij Principis ludo fuêre:*

fuêre: in iis duo omnino, qui contra comminationem aliquam non conniuerent, & ob id inuicti. Cui ſubſcribit Plutarchus lib. de Fortun. Roman. Virtuti tribuens πρᾶόν τε τὸ βάδισμα, καὶ τὸ βλέμμα κατεσταλμένον, *inceſſum moderatum, & oculum defixum*. Porrò quàm ſit Fortunæ illi, quæ per infortunia inceſſit, inſita magnanimitas, docuit Ariſtoteles 4. Ethicorum. Magnanimum enim deſcribens, videtur deſignare qui calamitate in proſperitatem emerſit: Δοκεῖ δὲ, inquit, καὶ τὰ εὐτυχήματα συμβάλλεσθαι πρὸς μεγαλοψυχίαν: *Videtur ad magnanimitatem conferre proſperitas*. Nihiloque ſeciùs ad eamdem magnanimitatem pertinere vult, περὶ πᾶσαν καὶ ἀτυχίαν καὶ εὐτυχίαν μετρίως ἔχειν: *Moderatè ſe & in infortunio & in fortunâ habere*. Atqui nō poteſt, opinor, quiſquam & fortunatus eſſe, & infortunium rectè tuliſſe, qui non in Reuertente Fortunâ ſit. Nec abſimiliter Maximus Tyrius Sermone 35. Διὰ τοῦτ' ἐγὼ ἐπαινῶ βίον γευόμενον κακῶν, ἀλλὰ γευόμενον μόνον·

Χείλεα μέν τ' ἐδίην' ὑπερῴην δ' οὐκ ἐδίηνεν.

ἔχοντα μὲν τὴν ἀρετὴν, χρώμενον δὲ αὐτῇ εἰς πρὸς ἀκουσίους τύχας. *Idcircò laudo ego vitam quæ infortunia guſtarit, ſed guſtarit tantùm:*

Intinxit tantùm labia areſcente palato.

vtpote quæ virtutem habeat, eaq; in aduerſam fortunam vtatur. Et D. Ignatius victoriam poſt

poſt plagas magnanimi tantùm eſſe, ait apud D. Maximum, de Patientiâ: Μεγάλε Ἀθλητοῦ ἐστι, δέρεσθαι καὶ νικᾶν. *Magnanimi Athletæ eſt, cædi & vincere*. Ex quibus intelligere eſt, quid cauſæ fuerit, quòd Prudentius Patientiam reparatæ Fortunæ parentem ſic effingit:

Spectabat defixa oculis, & lenta manebat.

Quemadmodum enim defixi oculi, ita & lentitudo, magnanimi ſignum eſt Ariſtoteli: qui homini εὐθύμῳ ſic præcipit in Phyſiogn. Ἔν τε ταῖς κινήσεσιν βραδὺς ἔστω καὶ ἀνδρώδης. *In motibus tardus eſto & lentus*. Ac neſcio an iſtud ſpectarit Veſpaſianus, dum Fortunam Reducem ita expreſſit, vt geminum dextrâ gubernaculum torqueat, ſiniſtrâ columnæ innitatur, palmeum ramum geſtans. Huiuſmodi mihi nummum vetuſtiſſimum communicauit V.C. Franciſcus Briet Diuionenſis Senator, cuius alterâ facie Veſpaſianus inſcriptus eſt & expreſſus; alterâ mulier, qualem deſcripſi, cum hoc titulo:

FORTVNÆ REDVCI.

Et cetera quidem eius inſignia aliò pertinent. Palmeum ramum ad magnanimitatem ſpectare cenſeo: proprium id ſolius palmæ, contra pondus niti & preſſam attolli. Plinius lib. 16. cap. 42. *Populus contra omnia inferiora* (reſcribo, *contra onera inferior*) *pandatur: palma è contrario fornicatur*. Denique Claudianus

dianus præclarissimè hanc Fortunę Reducis, & Virtutis seu Magnanimitatis societatem expresserat, si non esset peruersus, Panegyrico ad Manlium Theodorum, dum eum

— remotum
Iudiciis, eadem rursum complexa potestas
Inuehit, & Reducem notis imponit habenis.

Sic enim ait aliquanto post ista:

——— Actúsque priores
Commendat repetitus Honor, Virtúsque reducit
Quos Fortuna regit.

Quid sententiæ habeat istud, *Quos Fortuna regit*, & quomodo ex antecedentibus pendeat, non est facile agnoscere. ausim affirmare, scriptum fuisse, *Queis Fortuna redit.* Sicque est quintus Reuertentis Character, MAGNANIMITAS.

Sextus Reuertentis Character, Pudor Virilis.

48. COLORE NEC RVSTICE ADVSTO NEC EFFEMINATE CANDENTI.] Colorem pudoris aut impudentię esse indicium, clarius est quàm vt probatione egeat. atque vt niger & adustus seruilis & timidæ verecundiæ, vt candens feminei & pauidi

pauidi est pudoris; ita masculus rubor, ex vtroque attemperatus, virilis & constantis est animi. Ita Aristoteles in Physiognomiâ: Οἱ ἄγαν μέλανες δειλοί· ἀναφέρεται εἰς τοὺς Αἰγυπτίους, Αἰθίοπας. οἱ δὲ λευκοὶ ἄγαν, δειλοί· ἀναφέρεται εἰς τὰς γυναῖκας. τὸ δὲ πρὸς ἀνδρείαν συντελοῦν χρῶμα, μέσον δεῖ τούτων εἶναι. *Valdè nigri, timidi sunt, referunturque ad Aegyptios, Aethiopes: valdè candidi, pauidi; & referuntur ad mulieres. Color autem ad virile robur aptus, inter istos medius est.* Is verò nullus fuerit alius, nisi masculus rubor, qualis Virtuti à Plutarcho tribuitur, lib. de Fortun. Roman. Παρέχει δέ τι καὶ τῷ προσώπῳ πρὸς τὴν ἅμιλλαν ἐρύθημα τῆς φιλοτιμίας. *Affert aliquem in facie ruborem ad certamen ex gloriæ studio.* Non deest autem iis, qui ex aduersâ Fortunâ restituti sunt, verecundia sua virilis, siue eiusmodi, vt illi insit & ex præteriti dedecoris (cuicuimodi illud fuerit) recordatione rubor, & ex præsentis dignitatis restitutione robur: calamitates enim licet præteritas *non sentire*, quod ait Seneca ad Polybium, *non est hominis; non ferre, non est viri*: siue eiusmodi, vt trahatur & de imbecillitate ad gratiam restitutori reponendam rubor, & de reponendi inflammatâ voluntate robur. Quemadmodum enim *non referre beneficiis gratiam, & est turpe, & apud omnes habetur* (quod ait Seneca lib. 3. de Beneficiis)

ac

ac proinde pudendum : ita velle referre, etsi referre nequeas, generosum. Seneca lib. 5. cap. 2. *Si alter plus potuit, & ad manum habuit materiam sufficientem animo suo, si illi, quantum conatus est, Fortuna permisit; alter autem volũtate par est; hic non magis victus est, quàm qui in armis moritur: quem occidere faciliùs hostis potuit, quàm auertere.* Nihilque necesse est illi Aiacis ad suos milites verba occinere:

Ὦ φίλοι, ἀνέρες ἐστὲ, καὶ αἰδῶ θέσθ' ἐνὶ θυμῷ.

Amici, viri estote, & verecundiam animo sumite.

Tam enim vir est, quia vult; quàm verecundus, quia reddere non potest. Aut istam ob causam, quam in restituto homine locum habere cum primis beneficij magnitudo persuadet, aut ob illam priorem positus à me est sextus Reuertentis Fortunæ Character, PVDOR VIRILIS.

Septimus Reuertentis Character, Firmitas seu Constantia.

49. CERVICE IN OMNE INFORTVNII PONDVS IMMOTA.] Firmitatis & diutinæ durationis, quam constantiam propriè dicimus, index est ceruix. Achilles Onirocrita: Ὁ τράχηλος ἰσχὺν ὅλου τοῦ σώμα-

σώματος σημαίνει. *Ceruix firmitatem totius corporis designat*. & Aristoteles Physiognom. Ὅσοι τ̃ τράχηλον παχὺν ἔχουσιν, εὐέρρωστοι τὰς ψυχάς· ὅσοι δὲ λεπτὸν, ἀσθενεῖς. *Quibus crassæ & firmissimæ ceruices, constantes animo; quibus exiles, animo infirmi*. Et in corporis firmi signis ponitur ibidem, τράχηλος ἐρρωμένος οὐ σφόδρα σαρκώδης: *ceruix firma, nec multùm carnosa.* Iam illud Fortunæ huic, quam designamus, solenne est, vt omni aliâ Fortunâ firmior, & in reliquum tempus cõstantior existat. Seneca lib. Quare bonis viris: *Quid miraris bonos viros, vt confirmentur, concuti? Non est arbor solida, nec fortis, nisi in quam ventus incursat; ipsa enim vexatione constringitur, & radices altiùs figit*. Dixit Christianus Doctor in re suâ: *Multò firmior est fides, quam reponit Pænitentia*. Dixerim ego, haud minùs verè: *Multò firmior est Fortuna, quam reponit Patientia.* Fragilis est felicitas inconcussa; & corpora in vmbrâ educata, quamlibet tenuis aura perstringit. Vita, quæ laborem doloremque non senserit, ait Maximus Tyrius sermone 31. κοῦφος, καὶ ψοφοδεὴς, καὶ ἄπιστος, καὶ θαλάσσης πάσης ἀδηλότερος: *leuis, sonitum omnem pauens, infida, & mari inconstantior*. Deniq. Æetæ Regis Ægyptiorum ἀθαλάττου, vt appellat Maximus, & in ferendâ tempestate insolentis, delitiosa illa nauis, quæ voluptatum omnium instru-

instrumenta vehebat, magnum & ipsa voluptatis instrumentum, cùm primùm tempestas incubuit, περιεφέρετο καθάπερ ἀνδρὸς σῶμα μέγα καρηβαρῶν ἐκ ὑπὸ μέθης σφαλλόμενον, *disiecta est, non secùs ac grande hominis corpus capite grauatum & ebrietate labascens*. At naues aliæ, quæ tempestatem iam sæpè tulerant, sæpè aquam duxerant, sæpè scopulis affrictæ euaserant, quasi periculis ipsis firmatæ, πρὸς τὸν κλύδωνα ἡμιλλῶντο, καὶ τὸ πνεῦμα ἔφερον, καὶ τὴν ἐμβολὴν τοῦ κακοῦ ἀπεμάχοντο, *tempestati certarunt, ventum tulerunt, & infortunij vim superarunt*.

Prudentius hoc nomine prudenter Patientiæ esse ait, non modò virtutes ceteras firmare, in Psychomachiâ:

> *Virtus nam vidua est, quam non Patientia firmat:*

sed fortunas quoque, eius ope restitutas, in posterum cōstituere & constabilire. Sic enim de sancto Iob patientiæ commilitone:

> *Illum diua iubet, tādem requiescere ab omni*
> *Armorū strepitu, captis, & perdita quæ sunt*
> *Multiplicare opibus, nec iam peritura referre.*

Ita videlicet, qui cetera conterit malleus, æs durat; quæ ligna corrumpit aqua, quercum firmat: ita sole gelu liquitur, sal concrescit. *Multum sibi adiicit*, inquit Latinus Philoso-

phus Epist. 13. *virtus laceßita*. Multum & Fortuna, quæ firmior in posterum robustiorque efficitur. Præclarè Tertullianus ad Martyres: *Epistates vester Christus Iesus, qui vos spiritu vnxit, & ad hoc scamma produxit, voluit vos ante diem agonis ad duriorem tractationem à liberiore conditione seponere, vt vires corroborarētur in vobis: nempe enim & athletæ segregantur ad strictiorem disciplinam, vt robori ædificando vacent.* Ita fortunæ aliquando auferuntur, vt constantiùs reponantur. Ferrum, quo sæpiùs canduit, durius est; nec radices altas agit seges, nisi quam nix alta oppressit. Non priùs natam sobolem sustulit antiquus Gallus, quàm robur eius rigentibus Rheni vndis & probasset & firmasset, si quæ Galeno fides lib. 1. de sanitate tuendâ. Lacedæmonium iuuenem contra hostile ferrum domestica διαμαςίγωσις obfirmabat: & Romani milites, *etiam in pace*, ait Tertullianus, *labore & incommodis, bellum pati iam ediscūt, in armis deambulando, campum decurrendo, fossam moliendo, testudinem desiccando. Sudore omnia constant, ne corpora atq. animi expauescant.* Denique certa est Nazianzeni sentētia:

Τὸ γὰρ παθεῖν ὡς πλεῖςα τοῦ
Φέρειν διδάσκαλον.
Multa tulisse
Magisterium est fortiter ferendi.

addo:

addo: & perſtandi diſciplina eſt, vacillaſſe. Ex quo eſt ſeptimus Fortunæ Reuerrentis Character, CONSTANTIA & FIRMITAS.

Octauus Reuertentis Character,

Suaue boni & mali experimẽtum.

50. VNVM TRANQVILLO, ALTERVM TEMPESTATI DESERVIENS.] Gubernaculum duplex Fortunæ ſuæ, vt puto σωτῆρι, quam eamdem eſſe cum Reuertente oſtendimus, affinxit Pindarus apud Plutarchum de Fort. Rom. Οὐ μὲν γὰρ ἀπειθὴς, κατὰ Πίνδαρον, οὐδὲ δίδυμον στρέφουσα πηδάλιον. *Non enim inſtabilis* (Fortuna ſcilicet Romanorum) *vt ait Pindarus, nec geminum agens gubernaculum.* cum quo conuenit magnus antiquorum numiſmatum numer us in quibus duplex Fortunæ Reduci temo aſſignatur. Quod licet aliò trahi poſſit, haud ineptè tamen boni & mali experimentum, ſine quo Redux Fortuna conſtare nequit, deſignarit. Vt enim gratæ vices ſunt gubernatoris, & proretæ, dum alter puppi, alter prorâ, gemino (vt ſolet) temone, nauem in portum impellit; ita Fortunę Reuertentis, dum vitam hominis ſuaui mali & boni mixturâ in tranquillitatem appellit. Virile eſt & verũ Maxi-

mi Tyrij dictum: Ἐὰν μίξῃς ταῖς εὐτυχίαις τὰ δυσχερῆ, μᾶλλον αἰσθήσῃ τῆς ἀρετῆς, καὶ συνήσεις τῆς εὐτυχίας. *Si Fortunæ admisceas infortunium, virtutem senties, Fortunámque agnosces multò melius.* Non delectant aliquos, nisi magno empta; & quamuis suauiora fastidiunt, quia exposita. Romanorum hic morbus ante ciuile bellum ab Eumolpo Arbitri descriptus:

—— Fatisque in tristia bella paratus
Quærebātur opes; non vulgo nota placebant
Gaudia, non vsu plebeio trita voluptas.

Ab imperitiâ istud vitium plerumque esse non dubito, & oraculo Senecæ ausculto 7. de de Beneficiis cap. 9. *Omnium rerum voluptas apud imperitos, ipso quo fugare debet periculo, crescit.* Sed à naturâ etiam originem trahit, quæ vicibus illis, dum reficitur, delectatur, & *alternat* (quod ait Augustinus Confess. 8. cap. 3.) *defectu & profectu, offensionibus & conciliationibus.* Vetus Poëta:

Non vno contenta valet natura tenore,
Sed permutatas gaudet habere vices.
Ipsa dies ideò grato nos perluit haustu,
Quòd permutatis hora recurrit equis.

Hinc est, quòd isto naturæ quasi magisterio in deterius vsi, *voluptates humanæ vitæ, etiam non inopinatis & præter voluntatem irruentibus, sed institutis & voluntariis molestiis, homines acquirant. Edendi & bibendi voluptas*

nulla

nulla est, nisi præcedat esuriendi & sitiendi molestia: & ebriosi quædam salsiuscula comedunt, quò fiat molestus ardor; quem dum extinguit potatio, fit delectatio. Hæc aliaq. eiusdem coloris Augustinus Confess. 8. cap. 3. Quo minùs mirum, si hac naturæ quasi illecebrâ deliniti, eas etiam fortunas, quæ ab infortuniis existunt, suauiùs iucundiúsq. fruamur. Maximus Tyrius serm. 35. Καὶ γὰρ ὀφθαλμοῖς φίλον μὲν χρωμάτων τὸ λαμπρότατον, ἀλλὰ ἐὰν μὴ παραθῇς τὸ φαιὸν, ἐλύπησας αὐτοῦ τὴν ἡδονήν. *Nam oculis amicus quidem est color splendidus; at nisi ei fuscum opponas, voluptatem eius imminueris.* Concentu maximè capiuntur aures, sed quem distincti soni inæquabili æquabilitate conflarint. Plutarchus bellissimè: Ὥσπερ ὄργανον ἄνεσιν καὶ ἐπίτασιν λαμβάνον ἡδὺ γίνεται, οὕτω καὶ βίος. *Vt musicum instrumentum intentione ac remissione suaue fit auribus, ita & vita.* Quod autem in illo est intentio; in vitâ, fortuna est: quod in illo, remissio; in vitâ, est infortunium. Atq. vt *periculosissima est*, quod inquit Seneca de Tranquil. cap. 4. *felicitatis intēperantia*: ita & insuauissima, nisi eam admixtum infortunium moderetur. Ingeniosè enim Dionysius Alexan. in Melissâ Antonij, de amantibus laborum, Τὰ πικρὰ εἶναί φησι τῶν γλυκέων ἐφόδια, καὶ γίνεσθαι καρποὺς τῶν πόνων τὰς ἡδονάς. *Aspera suauiū esse dicit viatica, & labo-*

rum fructus voluptates. Quod non alij meliùs Fortunæ conuenerit, quàm Reuertenti, cuius Character octauus esto, SVAVE BONI ET MALI EXPERIMENTVM.

Nonus Reuertentis Character, Copia certior.

51. BRACHIO INCVMBIT CORNVCOPIÆ.] Amaltheę cornu symbolum copiæ, Reduci Fortunæ ab antiquis tributum, quasi vbertatis & abundantiæ parenti. Ego illud aut cupresso coronaui ob viriditatem etiam hieme indeciduam; aut myrto ob fecunditatem, quæ illam Veneri sacram fecit; aut amaranto, quæ funeribus suis superstes dicitur, non eo tantùm, quòd, vt Artemidorus ait lib. 1. c. 79. *μεχρὶ παντὸς ἀμάραντον διὰ τὸ ὄνομα καὶ τὸ χρῶμα φυλάττει: etiam colorem iuxta nomen suum penitus immarcescibilem seruet*: aut quòd, vt scribit Plinius lib. 21. cap. 8. *flos eius decerptus asseruetur; mirúmque, postquam defecêre cuncti flores, madefactus aquâ reuiuiscat, & hibernas coronas faciat*. sed multo magis, quòd ipsa amaranti planta *gaudeat decerpi & lætiùs renasci*, vt ait Plinius ibidem. Nostra autem hæc Fortuna Reuertens hoc ipso lætiùs vberiusque renascitur, quò atro-

atrociùs antè calamitas desæuierit. Nescio an de amaranto sermo sit apud Nazianzenum, quem retulit D. Maxim. de Patientiâ: est tamen præclara Reuertẽtis Fortunæ cum plantâ non absimili compositio, quam non possum hoc loco præterire: Ἐστί τι παρὰ τοῖς μύθοις φυτὸν, ὃ θάλλει τεμνόμενον, καὶ πρὸς τὸν σίδηρον ἀγωνίζεται, καὶ εἰ δεῖ ποιητῶν μεμνῆσθαι λόγου, θανάτῳ ζῇ, καὶ τομῇ φύεται, καὶ αὔξεται δαπανώμενον. ταῦτα μὲν ὁ μῦθος, καὶ ἡ αὐτονομία τοῦ πλάσματος. ἐμοὶ δὲ δοκεῖ σαφῶς τοιοῦτο εἶναί τι ὁ φιλόσοφος, ὃς εὐδοκιμεῖ τοῖς πάθεσι, καὶ ὕλην ἀρετῆς ποιεῖται τὰ λυπηρὰ, καὶ τοῖς ἐναντίοις ἐγκαλλωπίζεται. *Planta quædam est in fabulis, quæ resecta pullulat, & cum ferro certat; atque, si Poëtarum verba memorare opus est, morte viuit, sectione germinat, ac decerpta succrescit. Hæc quidem fabula pro fingendi licentiâ. Mihi verò videtur simile quippiam esse vir Philosophus, qui infortuniis illustratur, & tristia in virtutis assumit argumentum, aduersisq; exornatur.* Nec modò exornatur, sed etiam Fortunâ vtitur vberiori:

Duris vt ilex tonsa bipennibus,
Nigræ feraci frondis in Algido,
Per damna, per cædes, ab ipso
Ducit opes animúmque ferro.

Lucus fuit Byzantinus oleâ consitus, quem nouo modo imber igneus dicitur fecundasse.

Sostratus Byzãtinus apud Achillem Tatium lib. 2. sic refert: Τὸ δὲ χωρίον ἱερὸν ἐν περιβόλῳ ἐλαίαν μὲν ἀναβάλλει φαιδροῖς τοῖς κλάδοις, πεφύτευται δὲ σὺν αὐτῇ τὸ πῦρ, καὶ ἀνάπτει περὶ τοὺς πτόρθους πολλὴν τὴν φλόγα, ἡ δὲ τοῦ πυρὸς αἰθάλη τὸ φυτὸν γεωργεῖ. *Campus est sacer ac septus, qui oleam gignit vberibus ramis, quibus adnascitur ignis, multámque in eis flammam excitat, atque illorum cinere arbor ipsa fecundatur.* Ad hoc exemplum, homo calamitatis flammâ copiosior vberiorque efficitur. *Negotiatio est*, ait Magnus Tertullianus ad Martyres, *aliquid amittere, vt maiora lucreris*. Negotiatio autem ex diuino prompta artificio: cuius est, vt scribit Synesius Epist. 57. τὸ διὰ κακῶν ἐπινοηθέντων πρός τινων ἀγαθόν τι καὶ χρηστὸν τέλος ἀποτελεῖν, καὶ ὠφελίμως τοῖς δοκοῦσι φαύλοις χρῆσθαι· καὶ γὰρ σοφίας ἐστὶν εὐμηχάνου, καὶ τοῖς κακοῖς ἐν δέοντι χρήσασθαι: *ex his quæ nequiter ab aliquibus in alios sunt excogitata, bonum aliquem & commodum finem eruere, & vtiliter his quæ noxia videntur, vti: ingeniosæ quippe sapientiæ est, ipsa mala & dispendia in compendium, dum licet, vertere.* Romanę Reip. suis crescenti dispendiis, & ex inopiâ suâ copiosæ, Fortunam reparatam hac de causâ gratulatur Rutilius Præfectus Itinerario primo:

Aduersis solemne tuis sperare secunda:
Exemplo cæli ditia damna subis.

Astra-

Astrorum flammæ renouant occasibus ortus:
Lunam finiri cernis, vt incipiat.

Non exuberat in vindemiam vitis, nisi ferro resecta; non respondet agricolæ seges, nisi qui prius ex Virgiliano præcepto 1. Georg.

Luxuriem segetum tenerâ depascit in herbâ,
Cùm primùm sulcos æquant sata.

Placet opulentior Fortuna? ex Patientiâ nascitur. *Operarius ille victoriæ Dei* (inquit Tertullianus de sancto Iob) *retusis omnibus iaculis tentationum, loricâ, clypeóque patientiæ, & integritatem mox corporis à Deo recuperauit, & quæ amiserat reduplicata possedit*. Placet potentior? hæc quoque Patientiæ soboles est. Alexander hortantibus suis, vt liberos susciperet in spem regni, respondit generosè: Καταλείπω ὑμῖν τέκνα, τὰς ἐκ τῶν ἀγώνων νίκας: *Relinquo vobis sobolem, discriminum victorias.* Placet honoratior? sequitur Patientiam. Tertullianus de Rege Babylonio: *Cùm squalore & pædore septenni ab humanâ formâ exulasset, immolatâ patientiâ corporis sui & regnum recuperauit, & magnificentia amplior*, vt ait Daniel, *addita est illi.* Atque hinc est Reuertentis Fortunæ, quæ Patientiæ etiam proles, Character nonus, COPIA CERTIOR ac VBERIOR.

Decimus Reuertentis Character, Frugalitas.

52. VESTIS NON DISSIPATIS LACINIOSA TILIIS.] Huiuſmodi eſt in antiquis nummis Fortunæ Reducis veſtitus ſeuerior, & ſinuum contabulatione collectus, quod frugalitatis argumentum eſt. idque fortè cauſæ fuit, cur Patientiæ à Tertulliano tribuatur *amictus circum pectora candidus & corpori impreſſus*; & Prudentius Pſychomachiâ, Auaritiam frugalitatis cultum mentientem, ſic exprimat:

— Inq; habitum ſeſe trāsformat honeſtum:
Fit virtus ſpecie, vultúque & veſte ſeuerâ,
Quam memorant frugi, parcè cui viuere cordi eſt
Et ſeruare ſuum.

Nulla verò Fortuna ſuorum retinentior eſt, quàm quæ ex magnis ea periculis laboribuſq. obtinuit. Nihil enim promptius eſt, quàm vt eodem quidque modo retineatur, quo partum eſt, & ſollicitè quæſita ſollicitè conſeruentur. Nazianzenus: Τῆς αὐτῆς ἐστὶ δυσχερείας, καὶ κτήσασθαί τι τῶν ἀγαθῶν οὐχ ὑπάρχον, καὶ κτηθὲν διασώσασθαι. *Eiuſdem eſt ſolicitudinis, bonum cùm abeſt obtinere, & cùm adeſt retinere.* Quam-

Quamobrem meritò addit: Φιλεῖ τὸ μὲν πόνῳ κτηθὲν μᾶλλον κρατεῖσθαι. τὸ δὲ ῥαδίως κτηθὲν, ἀποπτύεσθαι τάχιστα, ὡς πάλιν ληφθῆναι δυνάμενον. *Quod labore partum, diligentiùs retineri postulat: quod facilè partum, facilè negligitur, quasi facilè possit reparari.* & Basilius ad eumdem sensum: Τὸ γὰρ πόνῳ κτηθὲν, μετὰ χαρᾶς ὑπεδέχθη, καὶ φιλοπόνως διεφυλάχθη· ὧν μέντοι πρόχειρος ὁ πορισμὸς, τούτων ἡ κτῆσις εὐκαταφρόνητος. *Labore quæsitum iucundiùs obuenit, & sollicitiùs custoditur: quorum enim in promptu est comparatio, eorum facilè contemnitur possessio.* Itaque obseruarat non ineptè Cephisidorus apud Stobæum de Assiduitate, ὅτι οὐδεὶς οὐσίαν, ἣν αὐτὸς ἐκτήσατο, κατέφαγεν, ἣν δὲ παρ' ἄλλου παρέλαβε: *neminem partas ab se facultates abligurisse, sed ab aliis acceptas.* Nempe vt in his parandi facilitas profusionem, ita in illis difficultas frugálitatem progenerat. Origo huic rei ab æstimatione, quæ vt parandi difficultate crescit, ita perdendi metum auget. Nullius autem boni maior est apud homines æstimatio, quàm cuius experientia breuis fuit. *Tunc demum*, ait ille, *bona intelligimus cùm amisimus.* Quo fit, vt nulla magis Fortuna, ex Barbari illius apud Curtium dicto, *pressis manibus teneatur*, quàm Reuertens. Oraculum est Philosophi:

Semper potest accidere; quod semel potest.

Oracu-

Oraculum eſt & iſtud Mimi:

Fortuna obeſſe nulli contenta eſt ſemel.

Hoc Reuerſæ Fortunæ caritatem hominibus ingenerat, hoc illius cuſtodiam indicit. Nemo diuitiarum diligentior ac retinentior eſt, quàm qui pauper fuit. Tuendæ ſanitati illecebra morbus eſt, & conſeruandæ Fortunæ magiſtra eſt calamitas. Denique hîc maximè verum eſt illud:

Diſcipulus eſt prioris poſterior dies.

Ergo Fortunæ Reuertentis Character decimus eſto, FRVGALITAS & RETINENDI SVI DILIGENTIA.

53. CHÆRONENSIBVS TROPÆIS.] Ita de Syllâ Plutarchus lib. de Fort. Rom. Καὶ Ῥωμαΐστὶ μὲν Φοῖλιξ ὠνομάζετο. τοῖς δὲ Ἕλλησιν οὕτως ἔγραφε· ΛΟΥΚΙΟΣ ΚΟΡΝΗΛΙΟΣ ΣΥΛΛΑΣ ΕΠΑΦΡΟΔΙΤΟΣ. καὶ τὰ παρ' ἡμῖν ἐν Χαιρωνείᾳ τρόπαια, καὶ τὰ τῶν Μιθριδατικῶν, οὕτως ἐπιγέγραπται. *Latinè Felix nominatus eſt. Græcis autem ſic reſcripſit;* LVCIVS CORNELIVS SYLLA VENVSTVS. *& quæ apud nos ſunt in Chæroneâ tropæa, & Mithridatica, eo modo ſunt inſcripta.*

54. DIXERE] Solemnis hæc fuit Præconum vox, cùm eamdem cauſam plures agerent. quod innuit Fabius lib. 1. cap. 5. DIXERE *quoque (quamquam id Antonius Rufus ex diuerſo ponit exemplum) de pluribus patronis præca*

præco pronuntiat. Et Marcus Tullius 4 in Verrem: *Tum repentè iste testes citari iubet, dicit vnus & alter breuiter, nihil interrogatur, præco* DIXISSE *pronuntiat.*

Vndecimus Reuertentis Character,

Securitas.

65. AVGVSTIORE SOLIO.] Indicata plerumque est quies & securitas animi sessione corporis. Nummi certè veteres, Pacem, Securitatem, atque hanc ipsam Fortunam Reducem exprimunt sedentes. Cuius rei plana est significatio ex his quæ habet Artemidorus lib. 2. cap. 42. de Fortunâ: Ἀεὶ δὲ ἀγαθὴ ἡ καθεζομένη ἢ κατακεκλιμένη, τὸ ἀσφαλὲς γὰρ καὶ τὸ βέβαιον διὰ τοῦ σχήματος ἐπιδείκνυσιν. *Semper bona est Fortuna sedēs aut reclinis, securitatem enim & stabilitatem ex ipsâ figurâ demonstrat.* Ac cùm Securitas nihil aliud sit in homine, quàm curarum pauorisque vacuitas: aliud longè est, quod Fortunâ sedente designabant, & quod immotâ illius ceruice Charactere septimo indicatum probaui. Illic enim fortunas & status reparatos constantiùs firmiúsque durare; hîc hominem, cui Fortuna sit restituta, securiorem dein-

deinde metuque liberiorem degere, quàm in primâ Fortunâ, innuerunt. Etsi enim ex Fortunæ constantiâ nascitur hominis securitas, non tamen statim eadem res est securitas & constantia. Quare haud paulò verius est illius Pythagorici dicti interpretamentum, προσκυνήσοντα καθέζεσθαι, *adoraturum sedere*, quod habet Plutarchus in Numâ, quàm quod alij olim afferebant. Ideò enim imperatam putat adoraturo sessionem, quia tranquillitatis & quietis est argumentum: adoratio autem numquam ritè fit, nisi ὅταν χρόνον ἔχωμεν καὶ σχολὴν ἄγωμεν, *cùm tempus & quies est*. Alij censebant omen quoddam captari eâ sessione, τοῦ βεβαιότητα ταῖς εὐχαῖς καὶ διαμονὴν τοῖς ἀγαθοῖς ἐπιγίνεσθαι, *precis ratæ & futuræ optati boni constantiæ*. Simplicius est & propius, quod à Plutarcho asseritur; eamdemque sessionis significationem ob oculos habuisse videtur Prodicus apud Xenophontem ἀπομνημονευμάτων lib. 2. dum Herculem de vitæ genere deliberantem fingit ἐισελθόντα εἰς ἡσυχίαν καθῆσθαι, *captatâ tranquillitate sedisse*. Porrò Fortunæ Reduci non illud modò inest, vt perditas opes, dum restituit, solidiùs constituat; sed etiam, vt fortunis suis restitutum securiorem posteà ac solutiorem efficiat. Viperâ admorsos aiunt, cùm è vulnere conualuerint, tutos in posterum ac sine metu serpentino-

tinorum dentium degere posse: ita qui calamitate perstrictus, sanatusque est, ἐπάνω πάντων ἐστὶ (ait Cebes Thebanus in Tabulâ) τῶν πρότερον αὐτὸν λυπούντων, καθάπερ οἱ ἐχιόδηκτοι. τὰ γὰρ θηρία δήπου πάντας τοὺς ἄλλους κακοποιοῦντα μέχρι θανάτου, ἐκείνους οὐ λυπεῖ, διὰ τὸ ἔχειν ἀντιφάρμακον αὐτοὺς τοῦτο: *supra ea omnia est quibus antè conflictabatur; non secùs ac ij, qui à viperâ admordentur: serpentes enim ceteri, qui alium quemuis mortiferè oblædunt, cui tam validum adest antidotum, molesti esse non possunt.* Ita cælestis ignis, quos afflauit, tam à se deinceps, quàm à terrestri igne tutos reddidit. Naturâ id fieri Tertullianus innuit Apologetico: *Qui de cælo tangitur, saluus est, vt nullo iam igni decinerescat.* & adstipulatorem habet Plutarchum 4. Sympos. cap. 2. Τῶν ὑπὸ κεραυνοῦ διαφθαρέντων ἄσηπτα τὰ σώματα διαμένει. πολλοὶ γὰρ οὔτε καίουσιν οὔτε κατορύττουσιν, ἀλλ' ἐῶσι περιφράξαντες, ὥστε ὁρᾶσθαι τοὺς νεκροὺς ἀσήπτους ἀεί. *Qui fulmine intereunt, incorrupti manent. plerique enim eos nec comburunt, nec terrâ condunt, sed circumseptos relinquunt, vt cernantur mortui perpetuò incorrupti.* Repugnat his Seneca lib. 1. Natural. quæst. *Fulmine icta, intra paucos dies verminant.* Non pugno pro alterâ parte: satis mihi hoc loco est, quod apud omnes est confessum, moribus ac legibus receptum olim fuisse, vt siderati, quos

ἀστρ-

ἀστεροπλῆγας Græci vocant, ignis deinde ac rogi immunes essent. Plinius lib. 2. cap. 54. vbi de fulmine: *Hominem ita exanimatum cremari fas non est*. Extat etiamnum lex in hanc rem Numæ Pompilij apud Festum: *Homo si fulmine occisus est, ei iusta nulla fieri oportet.* quasi iniquum esset, eum quem cælestis ignis aliquà sui parte voluisset superesse, alio deinde igne violari. Ad hoc exemplum, quos aduersa Fortuna perstrinxerit, ij si infortunio emergant, contra ceteros eius insultus fiunt tutiores, & *callum* (vt ait Seneca lib. de Prouidentiâ) *per iniurias ducunt, nec vlli malo cedunt; sed, etiamsi ceciderint, de genu pugnant.* Denique addit Seneca: *Qui supplantatus aduersarium toto tulit corpore, nec proiecit animum proiectus: qui quoties cecidit, contumacior resurrexit, cum magna spe descendit ad pugnam.* Hanc confidentiam & securitatem, malorum experientia gignit. Inexperientia, timiditatis parens est. Angit leuis febricula morbi inexpertum. Morbosus subsilientem venam etiam ridendo tangit. *Ad suspicionem vulneris*, ait magnus Seneca, *tiro pallescit; audacter veteranus cruorem suum spectat, qui scit se sæpè vicisse post sanguinem.* Ita extremus Reuertentis Character est, SECVRITAS & CONFIDENTIA.

56. CA-

56. CAMILLVS, CÆCILIVS, MARCELLVS.] Illuſtria hæc ſunt exempla reſtitutæ Fortunæ in Romanâ Republicâ. De Camillo & Cæcilio Numidico, Liuius & alij; de Marcello, M. Tullius; de ipſo Tullio, Plutarchus; de Mario, Tullius Oratione poſt reditum; de Senecâ, ipſemet Conſolatione ad Heluiam; de Caſpio, qui ob defenſum Soranum à Nerone pulſus, à Galbâ reſtitutus eſt, Xiphilinus in Nerone teſtimonium dixit.

57. QVIDQVID IVCVNDVM EST CVM ADEST.] Duxi huc aliqua ex ipſo Tullio, cuius eſt iſta actio, Oratione ad Quirites poſt reditum. Non abſimilis eſt Senecæ ſententia Conſolat. ad Marciam: *Natura mortalium eſt, vt nihil magis placeat, quàm quod amiſſum eſt*. Maior eſt de longinquo maieſtas, & auctoritatem Principes interdum abſentiâ quærunt. Ita & iucunditas abſentiâ creſcit, hoc futura maior quo laborioſiùs reparata: condimentum enim & illecebra voluptatis eſt labor, meritoque iuſſit Antiſthenes, ἡδονὰς τὰς μετὰ τοὺς πόνους διωκτέον, ἀλλ᾽ οὐχὶ τὰς πρὸ τῶν πόνων: *voluptates, quæ laborem ſequuntur, parandas, non quæ præcedunt.*

58. SCIPIO.] Plurima huc quoque deriuaui ex eo, qui loquitur, Seneca. De Scipione quidem ſic epiſtolâ 86. *Animum quidem*

eius in cælũ, vnde erat, rediјsse persuadeo mihi: non quia magnos exercitus duxit (hos enim & Cambyses furiosus ac furore feliciter vsus habuit) sed ob egregiam moderarionem pietatémque, magis in illo admirabilem, cùm reliquit patriam, quàm cùm defendit. Aut Scipio Romæ deesse debebat, aut Roma libertas. Nihil, inquit, volo derogare legibus, nihil institutis: æquum inter omnes ciues ius sit. vtere sine me, beneficio meo, patria. caussa tibi libertatis fui, ero & argumentum.

59. MARIVS.] Non tam ab exilio reductus, quàm seipsum reduxit Marius, diutissimè cum calamitatibus & periculis suis conflictatus. De eo vetus Poëta:

Spes Marium mouit turpi se credere limo,
Et tantum furto viuere velle virum.
Hæc illum Libyæ penetrare in littora victæ
Iussit.

60. ITE IN CONSLLIVM.] Populus in suffragium, ab eo qui legem rogabat; qui in consilio erant, à caussæ quæsitore in consilium mitti soliti sunt. Verba sunt in suffragium mittentis apud Liuium lib. 31. *Ite in suffragium benè iuuantibus Dijs, & quæ patres censuerunt, vos iubete.* Missos ad hunc modum in consilium, qui quæsitoribus aderant, significant verba Tullij pro Cluentio: *Cur Stalenum, cùm in consilium iretur, Cluen-*

tius & Canutius abesse patiebantur? cur cùm in consilium mittebant, Stalenum iudicem, cui pecuniam dederant, non requirebant?

61. TANTO REVERTENTEM HANC FORTVNAM TVAM PRIMIGENIÆ ILLI ANTESTARE.] Dictum est ab Euripide Bellerophonte:

> Ἥσσους γεγῶτες κρείσσον' ἦλθον εἰς τύχην.
>
> *Qui deprimuntur, potiorem emergunt in Fortunam.*

Quòd si ab eo dictum numquam esset; tamen ex vtriusque Fortunæ Characteribus à me expressis, ac probatis, potuit liquidò agnosci. Nisi quis fortè Matronalem dignitatem, Virgineo fuco ac simulationi; Modestiam, Insolentiæ; Prudentiam, Imprudentiæ; Æquabilitatem, Inuidiæ; Magnanimitatem, Imbecillitati; Pudorem, Impudentiæ; Constantiam, Leuitati; Experientiam, Imperitiæ; Prouidentiam certam ac frugalem, Incertæ & profusæ; Securitatem, aut Inquietudini aut Supinitati, peruerso iudicio *Inferiorem ausit pronuntiare.*

62. ILLA CLEMENTIAE ARA.] Non est metus adulationis, cùm quidquid dicitur est ipsâ re minus. Ara mihi Clementiæ, Fortitudinis Sedes, Iusti-

tiæ Tribunal, Consilij Oraculum, HENRICVS QVARTVS. Adijciam, licet haud paulo veriùs, quod de Timotheo homine priuato Isidorus Pelusiota Epist. 151. Οὕτως γὰρ ἦν ἀνάκτορον μὲν σωφροσύνης, ἑστία δὲ φρονήσεως, ἀκρόπολις δὲ ἀνδρείας, μητρόπολις δὲ δικαιοσύνης, καὶ ταμιεῖον μὲν φιλανθρωπίας, τέμενος δὲ ἡμερότητος, καὶ συλλήβδην εἰπεῖν, πασῶν τῶν ἀρετῶν θησαυρός. *Est enim omnino Moderationis Delubrum, Domicilium Prudentiæ, Fortitudinis Arx, Metropolis Iustitiæ, Humanitatis Penu, Mansuetudinis Sacrarium, &, vno verbo, Virtutum Thesaurus.* Quæ ego cùm adiecero, ea fortasse attigero, quorum in omne hominum genus tam manifestus est vsus, quàm copiosus fructus: at quæ ab eo in Societatem nostram priuatim extiterunt, haud scio an pro dignitate expressero, si quod Calasyris Charicleæ apud Heliodorum, hoc nostræ Societati HENRICVS QVARTVS dicatur extitisse, ὁ χειραγωγὸς τῆς ξένης, ἡ βακτηρία τῆς πλάνης, ὁ ξεναγὸς τοῦ ἐπὶ τὴν ἐνεγκοῦσαν, ὁ τῶν φύ-

φύντων ἀναγνωρισμὸς, ἡ παραψυχὴ τῶν δυστυχημάτων, ἡ εὐπορία καὶ λύσις τῶν ἀτυχημάτων, ἡ πάντων καθ' ἡμᾶς ἄγκυρα: *Ductor in peregrinâ terrâ, bacillus in lapsu, dux reditus in patriam, parentum repræsentator, solator in malâ Fortunâ, sospitator in nullâ, & rerum omnium anchora.*

FINIS.

INDICVLVS

AVCTORVM *citatorum*.

Gale-

INDEX

INDEX RERVM.

A

C

D

Glau-

Olym-

nem

Venus

APPROBATIO.

PAnegyricum HENRICO IV. Franciæ & Nauarræ Regi dictum à P. Petro Rouerio Soc. IESV, vnà cum Notis, & subiuncto eiusdem Regis Elogio Historico, dignum æstimo qui denuò imprimatur.

Egbertus Spitholdius
Plebanus Antuerpiensis.

SVMMA PRIVILEGII.

ALBERTI & ISABELLÆ CLARÆ EVGENIÆ, Archiducum Austriæ, Ducum Burgundiæ, Brabantiæ, &c. Serenissimorum Belgicę Principum, Priuilegio cautum est, ne quis *Panegyricum* HENRICO IV. *Franciæ & Nauarræ Regi Augustissimo dictum à P. Petro Rouerio è Soc.* IESV, præter voluntatem Ioannis Moreti Typographi Antuerpiensis intra decennium excudat, aut alibi excusum in Inferioris Germaniæ ditiones importet, venalémve habeat. Qui secùs faxit, confiscatione librorum, & aliâ graui pœnâ mulctabitur, vti latiùs patet in litteris datis Bruxellæ, XXX. Martij, M. DC. IX.

Signat.

Buschere.